49769 | P

Albini

Dissertatio Medico-Practica Inauguralis, de Hysterica Passione. - 1766. —

J
XVIII
h/18

J. XVIII h 18

65.

£109

Cat 72-504

52133

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS,

DE

HYSTERICA PASSIONE,

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

FRIDERICI BERNARDI ALBINI,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS ANATOMES
ET CHIRURGIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, &
Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis,
ritè ac legitimè conſequendis,

Publicæ ac Solenni Disquiſitioni ſubmittit.

LUCAS VAN STEVENINCK, ANTH. FIL.
MEDIOBURGO ZELANDUS.

Ad diem XXV. *Aprilis* MDCCLXVI. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud { JOHANNEM LUZAC, ET JOHANNEM BOS. } 1766.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30347038

VIRIS

INTEGERRIMIS, SPECTATISSIMIS,

ANTHONIO VAN STEVENINCK,

PATRI SUO, OMNI PIETATE, REVERENTIA, AC FILIALI AMORE AD ULTIMUM VITÆ HALITUM COLENDO ET REDAMANDO,

D. D. JOHANNI NOORDHOUCK,

URBIS SLUSÆ IN FLANDRIA EXSCABINO, AVO DILECTISSIMO CARISSIMOQUE, DONEC SPIRITUS HOS REGIT ARTUS SUMMA CUM PIETATE PROSEQUENDO DILIGENDO.

NEC NON

VIRIS,

PRÆCLARÆ ERUDITIONIS FAMA, MERITORUM, MUNERUM, ARTIS, NOMINIS GRAVITATE ET PRÆSTANTIA PERILLUSTRIBUS,

D. D. FRIDERICO BERNARDO ALBINO,

A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, ANATOMES ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA HACCE INCLYTA BATAV. PROFESSORI, H. T. RECTORI MAGNIFICO.

D. D. BERNARDO SIEGFRIED ALBINO,

MED. DOCT. MEDICINÆ, ANATOM. ET CHIRURG. IN ACADEMIA LUGD. BATAV. PROFESSORI, IN ANATOMICIS CERTE PRINCIPI, COLLEGII CHIRURGICI LEIDENSIS PRÆSIDI, ACADEMIÆ IMPERIALIS PETROPOLITANÆ, SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS ET SCIENTIARUM HOLLANDIÆ MEMBRO INSTITUT. BONONIENSIS SCIENTIARUM ACADEM. SODALI, PROMOTORI SUO HONORATISSIMO, EXOPTATISSIMOQUE.

D. D. ADRIANO VAN ROYEN,

MED. DOCT. MEDICINÆ ET COLLEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORI, COLLEGII PHARMACEUTICI EJUSDEM URBIS PRÆSIDI, SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS SOCIO.

D. D. HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

MED. DOCT. HUJUSQUE FACULTATIS ET CHEMIÆ ET PRACTICI COLLEGII IBIDEM PROFESSORI, ACADEMIÆ IMPERIALIS PETROPOLITANÆ, SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS, ET SCIENTIARUM HOLLANDIÆ MEMBRO, SERENISSIMI PRINCIPIS ARAUS. ET NASSAV. ARCHIATRO, TENTATORI SUO FACILLIMO OPTIMOQUE.

PRÆCEPTORIBUS MEIS DIGNISSIMIS DILECTISSIMIS NUNQUAM SATIS COLENDIS, ÆSTIMANDIS, DE ME, MEISQUE STUDIIS BENE MERITIS.

Hancce diſſertationem inauguralem, ut & ſemet ipſum, ea qua par eſt reverentia ac obſequio,

D. D. D.

LUCAS VAN STEVENINCK,

AUCTOR.

PROLOGUS.

Studiis Academicis Valedicturo, Gradumque Doctoratus ambienti, leges almæ hujus celeberrimæque Academiæ neceſſitatem imponunt edendi ſpecimen quoddam, quo ſaltem aliquam quaſi & temporis & Studiorum ſuorum rationem reddat. Verum id maxime in his commendabile, quod eædem quoque leges, cuivis pro arbritrio materiem elegendi deſcribendique relinquant. Hanc ob rationem non diu dubius hæſi, quamnam ex latiſſimo Medicinæ campo ſumerem mihique ſeligerem materiem, quoniam jam dudum apud animum conſtitueram pertractare de hacce materie, quam nunc tibi, L. B. offero, licet certe argumen-

tum intricatiſſimum, juvenilibusque meis humeris nimis gravidum. Nova itaque nequis a me exſpectet, nam nihil eſt dictum, quod non dictum, ſit prius.

Supplex interim a vobis peto L. B. ut conatibus hiſce meis favere & ea, quæ deſunt ſupplere velitis.

DIS-

DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS,
DE
HYSTERICA PASSIONE.

§. I.

Homo, ad imaginem Dei creatus, a provido noſtro opifice, ordine tam mirifico & artificio, tam ineffabili fabricatus, nobis ſeſe offert, ut nihil conſideratione & admiratione, in toto terrarum orbe præſtantius, & excellentius occurrat, tam reſpectu partium internarum, quam externarum ſtructuræ & fabricæ, adeo ut omnipotentia Dei, noſtri creatoris, ex minimis ſingulis partibus œconomiæ

nomiæ noſtræ loquatur. Sed proh dolor! quibus enim moleſtiis!, & calamitatibus, homo, e ſuo carcere tenebroſo materno vix excluſus, ſtatim non affligitur? & a quanta quarumcunque miſeriarum & malorum caterva non excipitur? quæ omnes fuere fructus triſtiſſimi illius & lacrymis nunquam ſatis deplorandi lapſus primorum noſtrorum parentum, nam ante eum,

Nullus erat dolor mentis, non ſemina morbi,
Pallida non facies, peſtis, non venter aquarum
Turgidus, aut querulo ſquallebant corpora morbo.

Sed ſtatim poſt defectionem, perfecta hæcce felicitas generi humano erepta eſt, nam nunc,

Cor niſi cura nihil, caro nil niſi triſte cadaver,
Naſci ægrotare eſt, Vivere ſæpe Mori.

Sed præ omnibus mortalibus miſerandæ conditionis ſunt mulieres, nam præter innumeros morbos, quos cum viris communes habent, quam plurimis adhuc aliis & quidem gravioribus excruciantur malis, quod Helmontius recte dicat, mulieres omnes morbos bis pati. Hinc patet Deum mulieres gravioribus pœnis voluiſſe caſtigare, quam viros, quemadmodum ſacer ipſe codex teſtatur, Geneſ. 3. Ibi Deus mulieri dixit, multiplicando multiplicabo, (id eſt admodum multiplicabo) dolorem tuum, etiam conceptus tuos, in dolore paries liberos; Viro autem, quia auſcultaviſti voci uxoris tuæ, cum dolore comedito proventum terræ omnibus diebus vitæ, in ſudore vultus veſcitor cibo. Sed præter hæc ſupplicia, innumeris adhuc aliis miſeriis & calamitatibus generi humano, quamdiu in hoc terrarum orbe verſatur conflictandum eſt, teſte quotidiana eheu! experientia. Verum, ne ob tantorum malorum multitudinem in deſperationis baratrum præcipitaremur, idem Deus ter Optimus Maximus, & Miſericors ex ſuo cœlo Medicinam demiſit, ut ſic pla-

gas

gas iſtas & calamitates profligare, vel ſaltem mitigare poſſemus.

§. II. Vidimus ergo paragrapho præcedenti, mulieres præ viris quam plurimis morbis adhuc eſſe obnoxias. De hoc etiam convenit inter omnes auctores, tam Veteres, quam recentiores, ut omnes uno ore profiteantur: Sic DEMOCRITUS (*a*) ad HIPPOCRATEM horum mulierum morborum frequentiam videns, dicit: Uterum ſolum ſexcentarum, & innumerarum aliarum calamitatum auctorem eſſe. Omnium Medicorum Princeps HIPPOCRATES nimirum (*b*) tot mulierum plagas obſervans, hoc modo ſe explicat: Permultis & incomprehenſibilibus fere affectionibus miſerrimæ premuntur mulieres. Sed inter omnes mulierum morbos, nullus fere frequentius, nec majori vi & vehementia mulieres corripit, quam morbus hicce Paſſio Hyſterica dictus. Clariſſimus SYDENHAMUS variis locis hoc etiam affirmat V. G. Poſt febres omnium morborum frequentiſſime occurrunt affectus Hyſterici, (*c*) & alio loco, Chronicorum omnium frequentiſſimus morbus hyſtericus dictus (*d*). Qui plura exempla cupit, adeat diſſertionem epiſtolarem, (meo judico auream) celeberrimi hujus Viri, quam de hoc morbo ſcripſit: Nos vero eum etiam deſcripturi, ad id faciendum, nos accingimus.

§. III. Ingens nominum, quibus hic morbis inſignitur, numerus, a nobis poſtulat, ut, priuſquam ipſum definiamus, aliquid dicamus, de varia ejus denominatione. Aliis enim dicitur Præfocatio, Strangulatio, Suffocatio uterina: Aliis rurſus Epilepſia uterina, Apoplexia uterina, Uteri adſcenſus: HELMONTIO dicitur Aſthma uterinum muliebre: Quibusdam malum Hyſtericum, vel Hyſterico-Hypochondriacum, Vulvæ Strangulatio, Syncope frigida, Hyſteria, Hyſteris, ſed

(*a*) In Epiſtola de malo Hyſterico.
(*b*) De morbis Virginum.
(*c*) Diſſert. Epiſtol. pag. 353.
(*d*) Eadem diſſert. Epiſtol. pag. 388.

ſed a pleriſque nuncupatur Hyſterica Paſſio. Adeo inter ſe diſſentire videntur auctores, in denominatione hujus morbi, quia maxime diſſentiebant præcipue, de ipſius morbi natura, ſede, cauſa proxima, & plurimis adhuc aliis phænomenis, quibus plerumque hic morbis ſtipatur: Veteres enim credebant, uterum ad fauces adſcendere in ipſo paroxyſmo, quod Belgæ ex denominatione etiam videntur indicare, licet non in totum, tamen pro parte, quoniam hunc affectum vocare ſolent, *De opſtyging van de Moer.* Alii rurſus voluerunt; Uterum ſolum eſſe in cauſa. Alii hunc produci morbum, ab animali quodam, in utero reſidente, & plures ejus naturæ opiniones, quæ tamen omnes fere Celeberrimorum virorum autopſiæ repugnant. Sed quia boni Medici pluris intereſt, intelligere morbi naturam, cauſas, differentias, effectus, modumque recte curandi, jam non amplius inhærebimus, in varia ejus denominatione, tantummodo dicam, quod nobis arrideat vox Paſſionis Hyſtericæ, & quod conflatum ſit hocce vocabulum ex duabus linguis Græca nimirum & Latina: Paſſio nempe a Latino verbo *Patior*; Et Hyſterica a Græco *ὑστέρα Uterus.*

§. IV. Verum enim vero, antequam ipſum morbum aggrediar, prius notari velim, eum ſecundum ſtrictas Logicæ regulas haud facile definiri poſſe, tum quia plerumque aggravatur tot, tantisque Symptomatibus, nunc præſentibus, nunc abſentibus, & ad ſe invicem contraria ſpecie variantibus; tum quia natura, ſedes, potentiæ nocentes, ſymptomata, cæteraque fere omnia phænomena, in hoc morbo fere ſemper tam multum inter ſe diſcrepant, ut multi auctores hunc affectum non agnoverint pro uno morbo, quod evidenter patet apud Galenum (*e*), quum dicit: Paſſionem Hyſtericam unum quidem nomen eſſe, varia tamen & innumera mala ſub ſe comprehendere. Clariſſimus Riverius (*f*) hoc etiam

(*e*) De loc. affect. Cap. 5.
(*f*) Praxes Medic. Lib. 15. Cap. 6.

etiam affirmat, quum de hoc morbo diſſerens effatur: Dum de affectu Hyſterico agimus, non unum ſimplicem intelligimus morbum, ſed morborum Iliada. Sic invenitur apud Celeberrimum CASTELLUM: (*g*) Suffocatio hyſterica eſt congeries quam plurimorum Symptomatum, præprimis actionum animalium & vitalium diverſimode, & graviſſime læſarum. Ingenioſiſſimus HOFMANNUS (*h*) hunc morbum etiam vocat, multorum morborum cohortem. Hanc & ob cauſam plurimi alii auctores hunc morbum in varias ſpecies diviſerunt, & ſub variis denominationibus deſcripſerunt; nobis vero eum ſequenti modo definire placet.

§. V. Paſſio Hyſterica in ſuo paroxyſmo eſt affectus ſpasmodico convulſivus, quo mulieres ſuffocari & ſtrangulari videntur, admodum irregularis, imprimis mulieribus ſenſilioribus & irritabilioribus proprius, ſuam originem ducens ex utero, primisque viis, ſed & etiam ex omnibus fere partibus corporis, conſtipatus ingenti innumerorum, aliquando toto cœlo diſcrepantium Symptomatum caterva. Hancce morbi definitionem, licet rudioris ſit penicilli, tamen morbi naturam ſatis accurate indicare exiſtimo. Tradita ergo morbi definitione, ordo a nobis exigit, ut videamus, quænam phænomena hunc morbum concomitentur, & quomodo ſe ſuis ſignis manifeſtet, quæ ſigna Medicis vocantur vel Diagnoſtica, ſive quæ præſentem conditionem corporis Vivi, Sani, ægri, morituri, vel moribundi denunciant; Vel Prognoſtica, quæ ea prænuntiant, quæ his futura ſunt. (*i*) Diagnoſtica rurſus divido in tres ſpecies, quarum prima morbum ipſum futurum annuntiat, altera morbum præſentem indicat; tertia morbum ceſſantem, vel finem paroxyſmi demonſtrat. Videamus igitur, quid ante paroxyſmum fiat.

§. VI.

(*g*) Lexic. Medic. pag. 410.
(*h*) De Mal. Hyſter. cap. 5.
(*i*) Illuſt. H. BOERHAV. Inſtit. Medic. §. 876.

§. VI. Mulieres Hyſtericæ plerumque ante paroxyſmum ſunt triſtes, torpidæ, Melancholicæ, Suſpicioſæ, iracundæ, timidæ, mutabiles, facile indignantur, præcipue ſi quis ipſis ſpem injecerit de recuperanda ſanitate: Circa præcordia ſenſationem quamdam moleſtam ingratamque percipiunt, cor ipſis palpitat, tremitque, reſpiratio eſt difficilis; aliæ rurſus, (nam quam maxime a ſe invicem diſcrepant) triſtiſſima quæcunque ſibi ominantur, variiſque imaginationibus & impreſſionibus occupantur, & ex leviſſima vel nulla data anſa, Zelotypiam contra maritos concipiunt, aluntque. Pro diverſitate cauſæ, etiam alia obſervantur phænomena, V. G. ſi ſuam originem ducit a Chloroſi, ſunt torpidæ, pallidæ, dolores ubique fere perſentiunt, præcipue in lumbis & inguinibus, qui ſi inſultus Hyſtericos ſive ipſum paroxyſmum ſunt ſubituræ multum augentur, imprimis tum partes externæ, maxime extremitates frigus magnum percipiunt; præterea in abdomine ſentiuntur flatus, rugitus, borborygmi, ranarum coaxationes referentes, a quibus tenſiones Hypochondriorum, eructationes flatuum per ſuperiora, qua de re Clariſſ. T. BARTHOLINUS (*k*) exemplum notatu digniſſimum vidit, allegatque, in eo conſiſtens: Vir quidam uxorem ſuam Hyſtericam nonnunquam ſpatio unius quadrantis horæ, plusquam quadringenties, & ſub inde uno ſpiritu quinquagies eructare vidit. Qui flatus ſi in interioribus retinentur, quod ſæpe fit ſi ſpaſmi orificia imprimis Ventriculi & inteſtinorum obſident magna tormina, dolores, & diſtenſiones producunt. Nonnunquam etiam deprehenditur appetitus proſtratus, Cardialgia, Nauſea, Vomitus materiæ cujuſdam varii coloris ſaporiſque; aliquando alvus eſt valde obſtructa & conſtipata; contra fere ſemper ſatis copioſe excernitur urina limpidiſſima, aquoſa, quod Doctiſſimus SYDENHAMUS (*l*) pro ſigno Pathognomonico ſtatuit, raro fallenti. Non ſolum partes abdominis tam vehementer afficiuntur, ſed omnes totius corporis,

(*k*) Hiſtor. Anatom. rarior. Cent. 2. Hiſt. XXI.
(*l*) Diſſertat. Epiſt. de Hyſter. affect. pag. 397 & 398.

poris, invadunt enim fere omnes, ipſum caput, tam remotum non immune manet, partes enim ejus tam internæ, quam externæ per conſenſum cum contentis abdominis percipiunt dolores lancinantes, pungentes, ut plurimum contorquentes, nunc auctos nunc imminutos, inter quos ultimum locum non meretur dolor ille acerrimus, Æſculapii Filiis, Clavus Hyſtericus dictus. SYDENHAMUS voluit, ſecundum ſuum ſyſtema, ab omni corporis ambitu in certo Pericranii puncto, pollice transverſo contegendo, ſpiritus concentrari. His adhuc Symptomatibus ſæpiſſime accedit Vertigo tenebroſa, viſus obſcuratio, totius corporis anxietas, reconvaleſcentiæ deſperatio &c. Hæc præcipua ſunt phænomena, quæ ſuis ſignis futurum paroxyſmum annunciant, quæ tamen nec ſemper, nec numero, nec modo, neque in omnibus eadem reperiuntur ſed variant pro diverſitate potentiæ morbificæ, ægrotantis Idioſyncraſiæ &c.

§. VII. Abſolutis ergo ſignis, quæ futurum morbum annunciant, me confero ad ea, quæ præſentem morbum indicant, quæ rurſus fere ſemper variant, ratione potentiarum, conſtitutionis ægræ, partiumque affectarum, aliarumque circumſtantiarum. Aliquando enim ſubito ægrotantis crura ſegnitie & infirmitate corripiuntur, ita ut in terram prolabi cogantur, ſenſu motuque orbatæ; vel aliquando his integris, vel ſaltem non omnibus abolitis, cum anxietate ſumma & anguſtia, extremorum refrigeratione, pulſu debili, parvo, nunc intermittente, & nunc plane abolito, corde palpitante, reſpiratione difficillima, inæquali, ſæpe tam vehementer prohibita, ut laqueo videantur ſtrangulari, abdomen ipſis contrahitur, & ingens fovea non raro circa umbilicum naſcitur; quibus ſæpe accedit, quod ani ſphincteres magna vi contrahantur. Nonnunquam percipiunt Hyſtericæ in interioribus aliquem quaſi globum, quem Medici Globum Hyſtericum vocant, qui non ſemper ejusdem magnitudinis, ac molis, nam modo eſt major, modo iterum minor, modo durior, modo mollior, & ex abdomine videtur adſcendere ad

fauces, ibique organa reſpirationi & deglutitioni inſervientia occupat imo aliquando tam vehementer inſurgit, ut ſpaſmis corripiantur, & hæc eſt ratio, quare veteres dixerint uterum ad fauces adſcendere. Si vero potentiæ hujus morbi nocentes ſunt graviores, præcipue in irritabilioribus, omnes fere functiones tam Vitales, quam Naturales, & Animales perturbantur, immo fere abolentur, ut ipſi Medici æque ac adſtantes neſciant, an vivant, an autem vitam cum morte permutaverint, in quo ſtatu ſæpius per parvum tempus, aliæ vero per aliquot horas, ut Lindanus in muliere quadam Hyſterica, quæ per ſex horas ſine ullo ſenſu motuque, ac pulſu ſenſili jacebat, obſervavit; aliæ vero mortuarum ad inſtar per aliquot dies, (*m*) quidam auctores dicunt per hebdomades, manent, quæ tamen dein reſurrexerunt, & adhuc per plures annos vixerunt, quod ſuperſtitioſis occaſionem dedit dicendi credendique talem mulierem a morte reſurrexiſſe: Conferantur quæ nobis exempla tradit Salmuth. (*n*). Notandum tamen non omnes eadem vehementia ac modo affligi: Aliæ enim profunda ducunt ſuſpiria, ſenſibus interim non amiſſis; aliæ rurſus ſenſus externos amiſerunt, integris vel non plane abolitis internis; in aliis iterum ſenſus interni & externi ſimul ſunt affecti, ut patet in iis, quæ delirant, & modo rident, modo lacrymantur; ejus naturæ memorabile quid nobis communicat Scholiographus (*o*) de duabus matronis, quæ inſtante hoc morbo, riſu longo ad unam alteramve horam tenebantur, quem neque metu, neque hortatu, neque ullis aliis artibus compeſcere potuerunt. Galenus (*p*) horum phænomenorum diverſitatem jam obſervaſſe videtur, quum dicit, ſe vidiſſe Hyſtericas alias ſine ſenſu immobiles jacuiſſe, cum obſcuro parvoque pulſu, alias ſentientes quidem, & moveri potentes, integraque ratione, ſed animi defectione, ſpirationeque laborantes, alias enim crura

&

(*m*) A. Paraeus Lib. 13. Cap. 46.
(*n*) Cent. 2 Hiſtor. 86 & 87.
(*o*) Ad Cap 59. Lib. 1. Hollerii de morb. internis.
(*p*) De loc. affect. Lib. 6. Cap. 5.

& brachia contrahentes. In aliis innumera adhuc alia Symptomata hunc morbum concomitantur, quæ ſi omnia enumerare vellem dies me deficeret.

§. VIII. Abſolvimus ergo duos illos morbi ſtatus, ſymptomataque, nempe quæ futurum morbum annunciant, & quæ præſentem morbum indicant; reſtat adhuc ut perſpiciamus illa, quæ finem paroxysmi demonſtrant. Sed priusquam hæc deſcribere aggredior notari velim, ſymptomata hic iterum quam maxime a ſe invicem diſcrepare, nec in omnibus eſſe eadem, nec ſemper ſimul concurrere, in quibusdam pauciora, mitioraque ſunt, in quibusdam graviora & atrociora obſervantur, in aliis enim durant per aliquot minuta, in aliis per dies, in aliis intra certas periodos redeunt, in aliis non; in quibusdam vix quædam ſigna monitoria præcurrunt, ſed ſubito quaſi ex ſomno expergefiunt, quæ omnia videntur variare pro varietate ſubjecti, potentiarum, ſeminiorum, partis affectæ, & variæ morborum ſpeciei, a quibus affectus noſter ſuam originem ducit. Hanc ob cauſam nos etiam non ſtatuimus in omnibus eadem repiriri. Ergo (ni pereant ægrotantes in ipſo paroxysmo) motus inordinatus, parvus, & debilis, vel ſi gravior fuerit poroxysmus, totus fere abolitus cordis & arteriarum, mutatur in ordinatum, crebriorem, validiorem & naturalem, reſpiratio profundis ſuſpiriis ſenſim reſtituitur, omnesque actiones priſtinam ſuam recuperant naturam, modumque agendi, genarum color pallidus mutatur in rubrum, oculi in paroxysmo gravati aperiuntur, ex pudendis fluit humor quidam limpidiſſimus, aquoſus, per ſuperiora & inferiora erumpunt flatus, qui ſpasmorum ſolutionem annunciant. Aliquando paroxysmus etiam ſolvitur ſudore, poſt magna altaque ſuſpiria prægreſſa. HIPPOCRATES dicit (*q*): Mulieri a paſſione uterina vexatae, ſi ſternutatio ſuperveniat, bonum; Præterea dolor a convulſionibus, multum minuitur, quamvis ægræ aliquamdiu maneant defatigatæ, quaſi a magno labo-

(*q*) Aphor. 35. Sect. 5.

labore, aut fuſtium ictibus verberatæ, imprimis poſt graviorem paroxysmum, quando partes quædam ſunt irritabiliores ſenſilioresque, ſicque membra per aliquod tempus manent gravia & laſſata; ſufficiant hæc. Luſtravimus ergo ſatis prolixe ingentem ſymptomatum numerum, tum ante, tum in, tum poſt paroxysmum occurrentium: Videamus jam, quænam mulieres huic affectioni ſint obnoxiæ.

§. IX. Ad Paſſionem hyſtericam proclives reperiuntur, fere omnes fæminæ, cujuscunque ſint ætatis, ſtatus, temperati ac conditionis: Ergo Virgines, maritæ, gravidæ, puerperæ, viduæ, vetulæ &c. Sequamur hunc ordinem & videamus 1°. de virginibus, quæ quidem maximopere huic morbo ſunt ſubjectæ, imprimis juniores, ſalaciores, irritabilioresque, quæ viro jam maturæ, ante vel poſt primam menſium eruptionem, ut & teneræ & delicatiores, vitam ſedentariam agentes, potus aquoſos calidos, ut thee & caffe quotidie largiter ingerentes, aut multis leguminibus refrigerantibus, adſtringentibus, (præcipue tempore hyemali quo uſus acidorum & aceſcentium eas maxime ad hunc morbum prædiſponit) mellitis, ſaccharatis utentes, quæ, ſi menſes ipſis debite non fluunt magnas turbas in corpore muliebri excitant. 2°. Maritæ & Gravidæ, hoc morbo etiam conflictantur, præcipue primis geſtationis menſibus, quando tanta ſanguinis copia non requiritur ad nutriendum fœtum, quanta ſingulis menſibus natura excernere ſoleat. 3°. Puerperis hoc malum etiam accidit, præcipue poſt partum laborioſum, magnamque ſanguinis jacturam, vel contra a lochiis plane non, vel rite fluentibus. 4°. Viduas hunc morbum etiam expiriri, quotidianis obſervationibus conſtat, quia antea cum viro rem habentes, ejusque congreſſui aſſuetæ & gaudentes, nunc ab eo privatæ & deſtitutæ ſunt, Hunc affectum præprimis viduis accidere teſtantur omnes veteres imprimis Galenus (*r*) dum dicit: *Affectio hyſterica præcipue viduis evenit, quia utero purgari, parere,*

(*r*) De loc. affect. Lib. 6. Cap. 5.

rere, concubituque gaudere deſierunt. Tandem 4°. vetulæ ab hac plaga non immunes manent, quæ longe poſt cantameniorum fluxum ſanguine menſtruo & ſemine orbatæ huic malo obnoxiæ reperiuntur, teſtante RIVERIO (s). His rite perpenſis, patet nullas fere mulieres eſſe excluſas, ſive ſint juvenculæ ſive vetulæ. Hoc obſervavit Illuſtriſſ. SYDENHAMUS, (t) hinc dicit: Fœminis pauciſſimis, niſi laboribus aſſuetis hyſterica affectio parcit. Notandum tamen non omnes uno gradu affici, ſed imprimis debiles, irritabiles, Chloroticæ, delicatiores, & quæ vitam degunt tranquillam & ſedentariam: Rationem ſuppeditare videtur HIPPOCRATES, (v) quum dicit: Otium humectat & corpus imbecille reddit, labor ſiccat, & corpus validum efficit. Quod ſi comparatur natura muliebris, fere ſemper ex ſe irritabilis, cum hoc effato, clare patebit veritas HIPPOCRATIS dicti, & SYDENHAMI obſervationis. De ſymptomatibus agens, quamplurima enumeravi, quæ non ſolum huic morbo, ſed etiam multis aliis propria ſunt, & quibus aliquando morbus a morbo vix diſcernitur, quia ſæpe eodem fere modo ac ſtatu obſervantur: Abs re itaque fore non puto conferre hunc morbum iis, cum quibus convenientiam aliquam habere videtur, ne confundatur morbus cum morbo, adeoque falſa & perverſa inſtituatur curatio.

§. X. Hyſterica paſſio in paroxyſmo, præcipue graviori, ſuis ſignis diſtinctivis dignoſcitur a ſequentibus morbis.

1°. Ab Apoplexia, quod in paſſione hyſterica non omnes partes ita ſint ſolutæ; pulſus in hyſtericis debilis, reſpiratio parva, & ſi ad gradum eum pervenerit malum, ut omnes ſenſus motuſque voluntarii aboleantur, tunc pulſus & reſpiratio fere abolitæ reperiuntur; contra in Apoplexia pulſus eſt fortis & celer, reſpiratio magna, ſtertens, anheloſa; (w) in Apo-

(s) Praxis Medic. lib. 15. Cap. de Hyſter. affect.
(t) Diſſert. Epiſt. pag. 388.
(v) De Vict. ration. Sanor. lib. 2. Sect. 4.
(w) Doctiſſ. H. BOERHAV. Aphor. de Cognoſc. & curand. morb. §. 1008.

Apoplexia, nullus dolor obſervatur in paſſione noſtra graves. Finito paroxyſmo paſſionis hyſtericæ ſæpiſſime dicta factaque referunt, non autem apoplecticæ. Riverius (x) ſignis diſtinctivis paſſionis hyſtericæ ab Apoplexia annumerat: ſi hyſtericæ pungantur, aut iis evellantur pili, manu ſufficienter indicant, ſe dolorem ſentire, non vero apoplecticæ; præterea Apoplexiæ ſymptomata plerumque graviora ſunt, ſemperque memoriæ, judicii, motuumque læſiones relinquunt (y), raro autem hyſteriæ; ſic plura alia adſunt phænomena, quibus Paſſio hyſterica diſtinguitur ab Apoplexia.

2°. Ab Epilepſia, quod cum Hyſteria motus convulſivi non ſemper ſint conjuncti, nec ubi adſunt tam univerſales, quam in Epilepſia obſerventur, ſed unum vel alterum membrum tantum concutiant; neque hyſtericæ tam ſubito proſternuntur, quam Epilepticæ, quibus plerumque ſpuma ex ore prodit non autem ita hyſtericis. In Epilepſia pulſus naturali eſt major, in hyſteria minor; nec ita hyſtericæ digitos, præcipue pollices intra manus volam contrahunt. Epilepticæ æque ac Apoplecticæ non meminerunt eorum, quæ circa ipſas tempore paroxyſmi facta ſunt, hyſtericæ contra ſæpiſſime: Præterea mulieres hyſtericæ, in fine paroxyſmi, ut dormientes excitantur ex ſomno, cum murmure ventris inferioris, (quaſi utero quieſcente, & in ſuum locum redeunte); hoc vero non fit in Epilepticis; præterea pluries hyſtericis magna humorum copia effluit; quod non in Epilepticis, vel ſaltem raro contingit.

3°. A Syncope: In Paſſione hyſterica fere ſemper ſigna futuræ acceſſionis adſunt, non autem ita in Syncope, quæ promptius invadit, & quaſi derepente ægrotantes corripit; pallor in Syncope eſt major, quam in hyſteria, aliquando enim facies hyſtericarum rubet, magiſque tumet. In Syncope ſudores frigidi apparent, quæ in ſuffocatione nonniſi raro reperiuntur; Syncope plerumque brevior eſt, & citius ad ſalutem,

(x) Prax. Medic. lib. 15. Cap. de Hyſter. paſſion.
(y) Celeberr. H. Boerhav. Cap. de Apoplexia §. 1018.

tem, vel ad mortem determinatur, nunquam enim ſyncope ultra horam durat, e contrario hyſterica paſſio ſæpe per horas, imo dies protenditur (confer. §. 7.). Notandum tamen ſyncopen aliquando conjunctam eſſe cum hyſteria, quando cor nimirum gravius afficitur, vel vires admodum debilitatæ ſunt ex diuturniore affectu, & tunc utriusque morbi ſymptomata interſe mixta & conflata ſunt, ut dici nequeat, a quonam morbo ſuam ducant originem.

4°. A Catalepſi, quod Catalepſi correptæ, frigidæ maneant, non vero hyſtericæ, quæ ſedato paroxysmo, priſtinum calorem naturalem, citius recuperant; Catalepticæ oculis apertis jacent, neque vident neque audiunt, hyſtericæ vero non.

5°. A reliquis morbis ſoporoſis facile diſtinguitur, ſi omnia rite perpendantur, ſed brevitatis ergo lectorem relego ad ſcripta Celeberrimi Willisii (z). Verum enim vero præter enumeratos affectus, datur adhuc unus, morbus Hypochondriacus Medicis vocatus, cum quo tam arcte convenire videtur, ut multi auctores duos hos morbos pro uno eodemque habeant, deſcribantque; exemplo ſit Sydenhamus (*a*), qui in uno loco dicit: Si conferamus phænomena paſſionis hyſtericæ & hypochondriacæ, vix ovum ovo ſimilius deprehendemus; & in alio (*b*): Affectio hæc in maribus hypochondriaca, in fœminis hyſterica vocatur. Hic auctor igitur hunc affectum tantummodo diſtinguit ratione ſexus, & revera primo intuitu, parva ſane diſcrepantia videtur dari, ſed ſi accuratius contemplamur, & duos hos morbos ad ſe invicem comparamns, patebit, ſatis magnam inveniri differentiam inter affectum hyſtericum & hypochondriacum.

§. XI. Affectio Hyſterica ſequentibus modis diſtinguitur ab

(z) Pathol. Spasmod. Vindicat. contra Higmor. Cap. de affect. Hyſt. Hypochond.
(*a*) Diſſert. Epiſt. de Hyſt. affect. pag. 388.
(*b*) Eadem pag. 392.

ab Hypochondriaca. Primo ratione ipſorum morborum diuturnitatis, nam morbus Hypochondriacus eſt longiſſimus, diuturnamque requirit curationem; verum Paſſione Hyſterica gravidas, puerperas, viduas, ſanguine turgentes, poſt graviorem animi motum, vel virgines poſt repentinam fluxus menſtrui ſuppreſſionem, ſæpe numero graviſſime infeſtari, ab ea tamen per rectam medendi rationem ita vindicari, ut nunquam revertatur, quotidiana experientia docet. (*c*) 2°. Ratione invaſionis, Hyſterica enim affectio tam ſubito, vehementer, & inopinato miſeras haud raro aggreditur, ut omni fere ſenſu ac motu privatæ, repente in terram prolabi cogantur; contra affectus Hypochondriacus ſenſim ſenſimque ægrotantes invadit. 3°. Ratione ſexus, Hyſterica Paſſione viri non corripiuntur, contra & Hyſtericæ & Hypochondriacæ mulieres obnoxiæ ſunt. 4°. Ratione quorumdam Symptomatum, quæ etiam in hac vel illa quam maxime a ſe invicem diſcrepant. V. G. In Hyſterica Paſſione muſculi abdominales ſpasmis adeo contrahuntur introrſum, ut circa umbilicum naſcatur fovea quædam tam ingens, ut quid quaſi includi posſet; in Hypochondriacæ contra Hypochondria extrorſum protruduntur. Præterea malum Hyſtericum peculiaria quædam ſibi ſymptomata habet quæ in Hypochondriaco non occurrunt, E. G. Clavus Hyſtericus, Globus Hyſtericus, incredibilis, & pertinaciſſimus frigoris ſenſus, nullo modo fere vincendus in regione lumbari, quæ ſi jam obſervata ſunt in Hypochondriaco tamen rariſſime. Sic etiam nunquam in Hypochondriaco, quam hyſterico malo reperitur frequens animi deliquium, & tam ſubito ad ſuffocationem usque intercepta reſpiratio, cum faucium ſtrangulatione tam forti: E contrario autem in morbo Hypochondriaco ſymptomata quædam obſervantur, quæ rurſus in hyſterico non occurrunt. His accedit, quod in hypochondriacis ſymptomata nunquam tanta vehementia ſæviant, quam in hyſtericis, nam non inveniuntur exempla hypochondriacos ſepulcro jam fuiſſe deſtinatos, imo ſe-

(*c*) Doctiſſ. Hofmann. lib. de affect. hyſt. Cap. 5.

ſepultos. Conſtat 5°. Ratione eventuum, Hyſtericam affectionem ſæpe tranſire in Epilepſiam, Syncopen lethalem, furorem uterinum, quod in hypochondriaco malo non fit, quod ſæpe tranſit in Melancholiam, febrem lentam, morbumque nigrum dictum. Propoſita hæcce argumenta, ut mihi videtur, demonſtrant, dari ſatis magnam differentiam inter affectum hyſtericum & hypochondriacum. Sed diximus (§. 7.) hyſtericas in graviori paroxysmo aliquando tam vehementer affici, ut ipſi Medici fere, & aliquando penitus neſciant, an vivant, an mortuæ ſint, ad quod detegendum ſequentia inſervire poſſunt.

§. XII. Variis hoc exploramus modis, V. G. apponatur ſpeculum terſiſſime politum ori labiisque, ſi illud macula quadam inficitur, patet hanc produci ab exſpiratione, adeoque ægram adhuc in vivis eſſe. Alii linteum tenuiſſime carptum, plumas leviores, aut papyrum vel linteum uſtum admovent ori naribusque, quæ ſi motum concipiant, camera exacte clauſa, ut a vento quodam perflante moveri nequeant, ægrotantes adhuc vivere indicant. Alii cyathum aqua repletum pectori imponunt, ita, ut ſuperficies aquæ a ſole irradicari poſſit & ſi nec aqua, nec radii ſolis ab ſuperficie aquæ in parietem oppoſitum reflexi ulla ratione moventur, imo nec veſtigium quidem motus monſtrant, patet non amplius dari motum in pectore a reſpiratione, & tunc pro mortua habenda eſt. Sed perpetua hæc non ſunt, dicit Riverius (*d*), neque ullam certitudinem præ ſe ferunt, quoniam mulieres hyſtericæ, æque ac animalia tempore hiberno in latibulis degentia, ſola tranſpiratione vivere poſſunt. Interim verum eſt, tales mulieres, non cito eſſe ſepeliendas, niſi priusquam ſternutatoriis, aut veſicatoriis cuicunque parti fere corporis applicatis, bene ſint tentatæ, aut antequam earum cadavera, ſi mortuæ ſunt, fœtorem ſpargere incipiant, quoniam ut dictum eſt (§. 7.) proſtant exempla hyſteriacas jam ſepeliendas reſurrexiſſe:

(*d*) Prax. Medic. Cap. de hyſt. affect.

ſe: hinc dicit A. Paraeus (*e*); non ſatis cauti eſſe poſſumus in his ſepeliendis, ſimul miram referens hiſtoriam de quodam Medico, Vesalio procul dubio, qui cum vocatus eſſet in Hiſpaniam, ad nobilem mulierem, quæ ex hyſterico ſtrangulatu, jam ante tres dies mortua credebatur, diſſecandam, ecce! ad ſecundam adactæ novaculæ impreſſionem, derepente ad ſe rediit, & artuum, corporisque, quod pro cadavero habebatur, motu & clamore vitæ adhuc ſuperſtitis ſigna præbere cœpit. His abſolutis transeamus ad ſedem cauſasque hujus morbi.

§. XIII. Priusquam autem hæc deſcribere aggrediar, abs re fore non exiſtimo, proponere quasdam tam veterum quam neoticorum ſententias & opiniones, quoniam tanta datur inter hos & illos differentia, ut de his recte dici poſſet; quot capita tot ſenſus. Videamus autem quasdam illarum & conſideremus paulo accuratius, tuncque eam, quæ nobis omnium maxime probabilis videtur, & quam hinc pro noſtra etiam eligemus. Inveniuntur auctores, qui ſedem hujus morbi ponunt in ſolidis, alii in fluidis, alii rurſus in binis his ſimul: Qui in ſolidis ſtatuunt, diſcrepant rurſus, quænam ſit pars affecta; alii enim dicunt eſſe uterum ſolum, cum ſuis partibus, alii nervos, alii ventriculum cum inteſtinis viciniſque partibus, ut Hepate, Liene, Meſenterio, Pancreate, &c.; Qui in fluidis morbi ſedem quærunt, etiam differunt, an ſit ſemen, an ſanguis, an ſpiritus, &c.; ergo neque hi conveniunt: Qui ſedem ſimul in ſolidis & fluidis ponunt, etiam differunt de loco & partibus. Sed perluſtremus quasdam harum opinionum imprimis eas, quas auctores abſolute veras prædicare voluerunt. Hippocrates, Dioscorides, Aretæus, Soranus, & plures, qui eos ſecuti ſunt, ſedem cauſamque omnium illorum ſymptomatum efficientem, (ut cum illis loquar) ſoli utero adſcripſerunt; dicunt enim: cum uterus propter ſuas varias cauſas e ſuo loco movetur, ſuperioraque verſus

(*e*) Lib. 25. Cap. 46.

ſus ad Ventriculum & Diaphragma adſcendit, ſic exinde ſymptomata paſſionis hyſtericæ producuntur: ſed videas quæſo, quam parum veritati congruat hæc opinio: 1°. Hi auctores ſtatuunt adſcenſum uteri, quod abſolute fieri non poteſt: 2°. Sedem cauſam & effectus inter ſe confundunt: Quæ binæ iſtæ ſententiæ idcirco in Medicina non admittuntur; quamvis FERNELIUS dicat (*f*), ſe uteri adſcenſum tactu deprehendiſſe, ſæpeque uterum ſua manu in locum fuiſſe reſtitutum: Hæcce ſententia rurſus quam maxime Anatomiæ repugnare videtur, nam quomodo uterus poſſet adſcendere, quum tam firmiter nectitur per ligamenta ſua lata rotundaque; & fac ut uterus poſſit adſcendere, quomodo ille ſua manu in locum naturalem potuit reſtituere. GALENUS ipſe ſe huic opinioni jam oppoſuit pro parte, (*g*) nam ille putabat, uterum tantum non poſſe adſurgere, quantum illi putabant ſed parum tantum; attamen nec prius verum, nec poſterius, tranſeant ergo hæ opiniones. Non ſolum inveniuntur auctores, qui uterum ſolum accuſant, ſed rurſus qui eum ab omni culpa liberant; Inter quos primarius HIGMORUS, (*h*) qui ut ſuam opinionem probaret phænomena deduxit, a ſanguine impetuoſius in pulmones irruente, anteponens eundem, ut pote tenuiorem & flatulentum cum effervefcentia quadam in vaſa Pulmonum & Cordis nimis confeſtim irruere, & in iis calidam ebullitionem excitare. Verum jam ipſius HIGMORI tempore ebullitiones & effervefcentiae a multis repudiatæ ſunt, & apud hodiernos nullam plane fidem habent, quoniam obſervationibus conſtat ſanguinem adeo excitari non poſſe; hoc probat WILLISIUS (*i*) multis exemplis; inter alia dixit: Se vidiſſe puellas ob Chloroſin quaſi exſangues, quæ tamen paſſionibus hyſtericis valde obnoxiæ erant; in his reve-

(*f*) Pathol. Lib. 6. Cap. 16.
(*g*) De loc. affect. Lib. 6. Cap. 5.
(*h*) Lib. de affect. hyſter.
(*i*) Pathol. Spasm. vindicat. Cont. Higmor. Cap. de affect. Hyſt. Hypochond.

vera ſanguis ebullire & effervefcere vix poterat, ergo neque in hanc ſententiam pedibus ire audeo.

§. XIV. Videamus autem quid Willisius dicat; hic uterum ab omni culpa liberans, (*k*) putavit hypochondria præprimis affici, huncque morbum dependere a cerebro nervisque male affectis, ſicque cauſam præcipuam eſſe quærendam in ſpiritibus. In hac opinione jam quæſtio eſt, an verum ſit, quod hypochondria præcipue afficiantur, & an uterus plane immunis maneat? Si res bene perſpicitur, patebit contrarium: Hanc quoque ſententiam falſam eſſe demonſtraremus, ni vir hicce Celeberrimus poſtea veritatis vi victus coactus fuiſſet, ipſe confiteri, uterum ſæpiſſime quam maxime affici. Hujus etiam opinionis fuit C. Piso, (*l*) autumans in cerebro vel potius nervorum principio, præcipuam hujus morbi ſedem eſſe quærendam, quod tamen minus fundatum eſſe ex ſequentibus patebit. Aliam iterum habuit opinionem Riverius (*m*) qui mali originem attribuit fere ſoli ſemini ſanguinique menſtruo muliebri, diſſerens ſic effatur. Paſſio hyſterica duas præcipuas habet cauſas, ſemen nimirum muliebre ſanguinemque menſtruum, dum præter naturam retinentur, corripiuntur, malignamque acquirunt qualitatem, ex quibus maligni vapores elevanter, variæque partes afficiuntur: Binis his cauſis dein addit varios humores excrementitios, in uterum confluentes, qui diuturna mora putreſcunt & tetros vapores emittunt. Sed hic auctor non explicat cujusnam naturæ ac indolis ſit hæc malignitas, nec quomodo inde vapores iſti eleventur, aut quomodo apti ſint in corpore muliebri talia ſymptomata producere, tantummodo dicit propter mirum conſenſum, quem uterus habet cum omnibus propemodum partibus hæc ſymptomata producuntur: Ego vero neſcio uterum tanto majorem habere conſenſum com-

(*k*) Eadem.
(*l*) Obſervat. Select.
(*m*) Prax. Medic. Lib. 15. Cap. de Hyſt. affect.

communicationemque cum omnibus illis partibus, quas ſymptomata obſident, quam illæ ad ſe invicem; præterea ſi etiam verum eſſet ſanguinis menſtrui ſuppreſſionem hæc ſymptomata producere, certe illæ mulieres, ſive virgines, ſive maritas ſumas, quibus menſes debite, imo copioſe fluunt, huic morbo obnoxiæ non eſſent; obſervationes nobis vero contrarie demonſtrant, Virgines & mulieres, quibus per longum tempus menſes fuere ſuppreſſi, ſine ulla noxa notabili, præcipue ab hoc morbo fuiſſe immunes: Porro ipſæ ſæpe puerperæ poſt partum laborioſum ſanguinisque magnam jacturam, hoc morbo obruuntur, quod tunc iis, ſi verum eſſet hunc morbum ſuam habere originem a ſuppreſſorum menſium exhalationibus non accideret: Et ſi hic morbus produceretur a ſemine retento, ut dicit auctor, rurſus quæ ſemen copioſe & ſæpe ejiciunt hoc morbo non corriperentur, tuncque illæ quæ ſemen retinent magis obnoxiæ eſſent & ſemper cum hoc morbo confligandum haberent; Verum rurſus Clariſſimorum Virorum experimentis & obſervationibus conſtat, maritas, ipſasque meritrices æque hoc morbo laborare, quam Virgines pudicæ & Moniales, quam ob cauſam & Riverii opinionem amplecti ambigo.

§. XV. Multi auctores loquuntur de ataxia quadam Spirituum, quam Sydenhamus maxime defendit cauſamque efficientem ſtatuit (*n*) dicit enim: Affectiones iſtæ, quas in fœminis hyſtericas, in maribus hypochondriacas inſignire libet, a ſpirituum animalium ataxia (motu inordinato aut in ſtabilitate) pendent, unde facto impetu, in hanc illamve partem plus quam pro rata denſi nimiique feruntur, ſpasmos, & dolores excitantur, & alio loco (*o*) hujus ataxiæ cauſam antecedentem ponit debiliorem ſpirituum craſin. Inſpiciamus paulo accuratius hanc opinionem. Auctor ergo hic ponit omnia Symptomata paſſionis hyſtericæ ſuam habere originem

(*n*) Diſſert. Epiſtol. de Hyſter. affect. pag. 395.
(*o*) Eadem pag. 416.

nem a ſola iſta ataxia ſpirituum, quod ex loco mox allegato, & plurimis aliis in ſua diſſertatione epiſtolari de hoc morbo demonſtratur: Sed primo nobis occurrunt Spiritus iſti animales, de quibus adhuc inter viros omnium eruditiſſimos, imo facile Medicinæ principes magna datur controverſia, an inveniantur nec ne: Sunt qui horum præſentiam ſtatuunt, eamque omni modo probare conantur, ſed præcipue conjecturis, quoniam nihil certi de his conſtat: Quam ob cauſam multi auctores de exiſtentia dubitant, & Spiritus hos animales prorſus negant, & quidem propter varias firmas rationes, quarum minima non eſt, quod eos nemo unquam viderit aut demonſtrare potuerit; præterea, quia non ſufficit quid ſtatuere, ſi ratio ſufficiens non datur, quare adſumatur, exiſtentia horum Spirituum mihi plane falſa videtur; Sed redeamus propius ad noſtram materiem: 1°. hic auctor adfirmavit rem plane falſam, vel ſaltem incertam: 2°. Unus locus non reſpondet alteri, ſed quam maxime inter ſe pugnant, nam pag. 395. dicit: Symtomata paſſionis hyſtericæ ſuam habent originem ex ataxia ſpirituum, nimia copia & nimio impetu in has vel illas partes irruentium; & pag. 396. Symptomata quaedam explicans dicit: Partes interim externæ maſſaque carnea a Spiritibus jam alio raptis magnaque ex parte deſtitutæ, eousque ſæpe perfrigeſcunt non ſolum in hacce affectionis hyſtericae ſpecie, ſed in omnibus aliis, ut cadavera non magis frigeant, pulſus interim qualis ſanarum eſt; Ergo hic frigus, (ſymptoma, quod ſæpiſſime hunc affectum concomitatur) ſuam habet originem ex inopia ſpirituum, & ſuperius ex eorum nimia copia & nimio impetu, quod plane contrarium eſt priori; ergo neque huic ſententiæ fidem habere audeo.

§. XVI. Præter opiniones, quas propoſui, dantur adhuc auctores, qui cauſam hujus morbi adſcribunt dyscraſiæ cuidam acidæ, auſteræ, viſcidæ aut pituitoſæ in primis viis, & præcipue in utero cum ſuis partibus, præſertim glanduloſis, nervoſisque, quæ opinio a multis fovetur, ut a Sylvio & pluribus

bus aliis, quæque licet non tota vera etiam non plane falſa mihi videtur. Sed tandem vobis propono B. L. opinionem quam multi neotericorum ampleĉtuntur nempe an morbi ſedes quærenda non ſit, aliquando in omnibus totius fere corporis partibus, ſed ſæpiſſime in ſolis primis viis, omniumque frequentiſſime in utero cum ſuis partibus annexis; quod magis confirmatur, ſi conſideramus, hunc morbum ſuam debere originem, inveniríque in omnibus fere partibus, præcipue irritabilioribus ſenſilioribuſque: Videamus hujus opinionis rationem, V. G. ponamus mulierem cæterum ſaniſſimam, pati ingentem hæmorrhagiam, ſive per venæ ſectionem, nimium menſium profluxum, aut alio quodam modo præternaturali, ſicque ſanguinis boni magnam quantitatem evacuari, a qua evacuatione ſit deſtructio virium æquilibriique inter quantitatem humorum vireſque moventes, hinc omnium partium irritabilitas, prædiſpoſitioque, accedente potentia quadam nocente ad paſſionem hancce hyſtericam ſuſcipiendam: an tunc morbi fomes non quærendus eſt, in toto corpore? nonne in omnibus vaſis ſanguiferis, partibuſque muſculoſis, nunc ſenſilioribus & irritabilioribus? Proximum eſt ut videamus an etiam ſuam ducere originem poſſet hic morbus ex ſolis primis viis: Sumamus iterum mulierem cæterum ſanam ſed temperamenti calidioris & irritabilioris, quæ antea nunquam hyſterica paſſione laboravit, ſi hæc poſt ingentem ingeſtionem ciborum calidorum, acrium, aromaticorum, potuum ſpirituoſorum, vel non bene fermentatorum, medicamentorumque draſticorum, fortiorum aliorumque ſimilium corripitur doloribus, ſpasmis, convulſionibus &c. in Ventriculo, inteſtinis cæteriſque viſceribus abdominalibus, ubinam tunc quærenda eſt morbi origo ſedesque, nonne in ſolis primis viis? Hunc morbum ſuam etiam repetere originem ex utero cum ſuis partibus annexis innumeris conſtat obſervationibus experimentiſque in fœminis hoc morbo mortuis, factis, ubi in utero inveniebantur tumores abſceſſus, in tubis Fallopianis, ovariiſque materies quædam pultacea, ſordida, corrupta, purulenta, quæ ſtagnatione ſua partes irritantes,

 dolo-

dolores, convulſiones produxerant: Sic narrat RIOLANUS, (*p*) ſe vidiſſe teſtem fœmininum, pugno majorem induratum. BINNINGERUS (*q*) notavit teſtes cum vaſis Spermaticis & tubis uteri valde tumidis & inflatis, humore quodam craſſo, albo & ex parte indurato refertos inſtar ſteatomatis dimidiæ libræ. Sic etiam DIEMERBROECKIUS (*r*) memoriæ prodidit, ſe in hyſtericis plerumque aliquem magnitudinis certæ circa uterum exceſſum, in eoque liquorem quemdam æruginoſum vel croceum aut flaveſcentem deprehendiſſe. Ex his omnibus ſatis patet, fomitem paſſionis hyſtericæ etiam hærere poſſe in utero cum ſuis partibus & hanc ob rationem, quia in hac opinione nihil video, quod mihi obſtet eam toto corde amplector foveoque.

§. XVII. His igitur abſolutis ordo requirit, ut exponam hujus morbi cauſas. Cauſa morbi vocatur, id qualecunque, quo fit, ut morbus exiſtat. (*s*) Sed ex omnibus illis cauſis, quæ ad morbum conſtituendum, quid conferunt, unica tantum invenitur, quæ univerſam originis morbi rationem in ſe continet, qua poſita, morbus ſe ſemper manifeſtat, ablata, tollitur, (*t*) cauſa quæ Medicis vocatur proxima ſive continens, quæ ſi rite conſideretur, patebit hanc ſano ſenſu ita vocari, ſolamque veræ cauſæ phyſicæ ingenium præ ſe ferre, quæ ita morbum efficit, ut illa poſita hic ponatur, durante duret, mutata mutetur, ablata tollatur: Reliquis ergo ſic dictis cauſis, prædiſponentibus & occaſionalibus, hoc nomen tribui non poteſt, nec ideo ipſis nomen conpetit, quia licet ſingulæ quidem aliquid conferunt ad morbum producendum, tamen non niſi conjunctæ & combinatæ totum efficiunt; hanc ob rationem cauſam prædiſponentem ſeu προηγουμένην non voco cauſam morbi, ſed Seminium, ſive prædiſpoſitionem aut recep-

(*p*) Anthrop. lib. 2. pag. 35.
(*q*) Cent. 2. Obſervat. 90.
(*r*) Anatom. lib. 1. Cap. 24. de inferiore Ventre.
(*s*) Magn. H. D. Gaub. inſtit. pathol. Medic. §. 54.
(*t*) Idem §. 60.

receptivitatem ad morbum ſuſcipiendum; & occaſionalem ſive προκαταρκτικην, προφασιν potentiam nocentem, ſive occaſionem, quæ potentia nocens, ſi concurrat cum Seminio tum modo ſimul cauſam morbi proximam efficiunt (*v*) Inquiramus autem paulo accuratius quid ſit cauſa proxima, ſive continens. Per cauſam proximam ſive continentem morbi, nihil aliud intelligo, quam concurſum debitum omnium potentiarum nocentium cum Seminiis morbi, ſive actionem illam momentaneam, quæ fit, ſimulac congreſſus harum contingit, tumque ſtatim morbis ſe monſtrat: Hæc eſt ratio, quare multi auctores, ſubitam illam ipſius morbi exiſtentiam poſt conjunctionem illarum potentiarum cum Seminiis videntes dixerint, morbum a ſua cauſa proxima re ipſa vix diſcrepare; & revera res ita ſe habet, nam quidquid in morbo eſt, id in ejus cauſa proxima etiam inveniri debet. De his legi meretur Celeberrimus H. D. Gaubius (*w*) praeceptor meus dilectiſſimus, mihique ad ultimum vitæ halitum nunquam ſatis Colendus. His præmiſſis, videamus, quænam ſit cauſa proxima paſſionis hyſtericæ. Diximus antea (§. 5.) Paſſionem hyſtericam in paroxyſmo eſſe morbum ſpaſmodico convulſivum, ergo non diu quærendum, quænam ſit cauſa proxima; ſed ſtatim patet eam conſiſtere in ſpaſmis & convulſionibus in illis partibus, quæ afficiuntur. Conſideremus paulo exquiſitius, quid ſint illi ſpaſmi & convulſiones? in quo conſiſtant? ſub quibus conditionibus? a quibus viribus? & quomodo in corpore producantur?

§. XVIII. Spasmus mihi dicitur violenta, invita, & inordinata fibrarum motricium contractio, quæ ſuam habere originem videtur ex cauſa quadam vim vitalem violenter irritante, & ſtimulante, qua fibræ motrices illarum partium in actum naturali fortiorem, id eſt in præternaturalem, coguntur, qui, quo major eſt irritabilitas, potentiaque nocens gravior,

(*v*) Idem §. 77.
(*w*) Idem Cap. de morbor. cauſ.

vior, eo majores & violentiores ſunt ſpasmi. Attamen maxime differunt, pro varietate ſubjecti, & partis affectæ, nam uti vis vitalis, non in omni homine, nec in quavis hominis parte, eodem gradu adeſt, ita pro hujus differentia major, aut minor eſt proclivitas ad ſpaſmos convulſionesque: Et hæc eſt cauſa, cur, quæ vitio irritabilitatis laborant, potentiſſimum hujus ſymptomatis ſeminium alant. (*x*) Idem verum eſt de convulſionibus, quamvis multi auctores hæc a ſe invicem diſcernant, vocentque ſpaſmum contractionem muſculorum continuam, convulſionem autem alternantem: Perinde vero eſt utrum eodem nomine inſignire libeat, an diverſo; uterque enim affectus ad idem genus pertinet, partes easdem occupat, ſimilesque cauſas & differentias agnoſcit, ſæpeque alius in alium tranſit. Qui plura de his deſiderat adeat aureas inſtitutiones Pathologiæ Medicinalis, jam ſæpius laudati H. D. Gaubii Capite de ſpaſmis.

§. XIX. Cognita ergo morbi natura, cauſaque proxima, conſeramus nos ad explicationem ſeminiorum hujus morbi. Per ſeminia morbi intelligo diſpoſitiones, prædiſpoſitiones, ſeu receptivitates in corpore, quibus illud aptum natum eſt, accedentibus potentiis nocivis morbum ſuſcipere: (*y*) Prius ergo in corpore requiritus ſtatus quidam vel impreſſio, quæ ſola apta non eſt ad morbum producendum, ſed quæ quaſi exſpectat, donec accedat analoga & legitima combinatio potentiarum nocentium, quæ ſimulac combinatæ ſunt, etiam ſtatim ſuum effectum producunt, id eſt morbum. Analogiam hic requiro, quia natura ſeminiorum æque ac potentiarum nocentium, quam maxime ad ſe invicem diſcrepat, nam ſi congrua illa affinitas, imo dicam cupiditas mutua ad coëundum in binis his ſimul non invenitur, etiam non naſcetur, morbus. Sumamus ad hoc illuſtrandum ſequens exemplum: Homo, qui quotidie verſatur inter Variolis laborantes, ſi in cor-

(*x*) Idem §. 745.
(*y*) Idem §. 75.

corpore ſuo ſeminium non habeat ad hunc morbum ſuſcipiendum, quidquid agat hunc morbum non ſuſcipiet; ſed accedat ad aliquam, qui Peſte laborat idem ille homo, ſtatim, vel paulo poſt etiam hoc morbo corripietur: Patet igitur, hunc hominem quidem in ſe habuiſſe ſeminium, aptum ad Peſtem ſuſcipiendam, non vero ad Variolas: Idem de cæteris morbis verum eſt. Redeamus nunc ad noſtrum propoſitum. Dantur ergo varia in variis mulieribus, quibus ad morbum ſuſcipiendum aptæ redduntur, ſeminia, ſed nos tantummodo acturi ſumus de iis, quæ ad morbum noſtrum directe pertinent, quæque facile prætermittere non poſſumus; ea diſtinctionis ergo dividimus in duas ſpecies; nempe in naturalia & præternaturalia: Naturalia ſunt, quæ natura corporique ex ſua natura propria ſunt, & ad hæc referuntur, varia ætas, varia temperamenta, ἰδιοσυγκρασία, vis vitalis &c. Sanguineum enim temperamentum nimia abundantia boni ſanguinis diſponere ad obſtructionis, inflammationes, ſuppurationes conſtat, ex quibus rurſus corpus aptatur morbo hyſterico: Sic Melancholicum & pituitoſum particulis ſuis terreis, viſcidis, glutinoſis, crudis, easdem in ſe continent vires; Cholericum natura ſua calida, irritabili non minus quam cætera mulieres ad hunc morbum aptas reddit. Præterea huc refero, etiam ἰδιοσυγκρασίαν, nec non laxam & tenellam virginum aut mulierum compagem, quæ ex natura ſua fere ſemper multo debiliores ſenſiliores, & irribiliores quam viri, morbis convulſivis magis deditæ & prædispoſitæ ſunt; ſæpe enim fit, ut irritabilitas mulierum tanta ſit, ut levioribus ſtimulis & irritamentis, tum anima tum corpus, & aliquando ambo ſimul, tam valide afficiantur ut ſtatim in paroxysmum hyſtericum incidant, V. G. pruritu, titillatione, ſtrepitu quodam levi, dentium ſtridore & ſimilibus. Seminia præternaturalia ſunt, quæ præter naturam ita corpori inſident, ut quum ipſa morboſa ſunt, etiam per potentias nocentes concitata alios inſuper excludere morbos queant; & hæc duplicia ſunt, vel congenita vel poſt nativitatem contracta. Congenita vocantur, quæ infans jam ante nativitatem, id eſt in utero materno

in

in corpore habuit: Quæ poſt nativitatem contraxit ſunt talia, quæ, homine jam nato, in corpus irrepſerunt, quod multiplici modo fieri poteſt, E. G. lacte materno vel nutricis, cibis, potibusque, quibus quotidie utuntur, vulneribus, inſpiratione, reſorptione vaſorum cutaneorum & ſimilibus. Legantur, & relegantur pulcherrimæ inſtitutiones Pathologiæ Medicinalis doctiſſ. H. D. Gaubii, capite de ſeminiis morborum. Progrediamur jam ad illa, quorum concurſus debitus requiritur cum ſeminiis, ut morbus producatur, id eſt ad Potentias nocentes.

§. XX. Potentiæ nocentes ſunt res quælibet, ea præditæ facultate, ut morbos producere poſſint in corpore, per ſeminium prius aptum reddito, id eſt prædiſpoſito (z). Ergo omne id, quod in ſe habet facultatem ſeminiis junctum, Paſſionem hyſtericam producendi, nobis vocatur Potentia nocens, ſive occaſio Paſſionis hyſtericæ. Adfirmavimus autem §. præcedenti, potentias has eſſe tam multiplices, tantamque dari differentiam inter has & illas; inde a variis vario modo dividuntur, quamvis omnes ſuam ducant originem ex triplici fonte, ex Mente nimirum, Corpore, & rebus externis. Quoniam autem tantum commercium datur inter mentem & corpus, tum quia utriusque potentiæ nocentes intra corpus ſuam habent originem, & cæteræ potentiæ nocentes a foris intus admoventur, brevitatis & facilitatis ergo has dividere poſſemus in internas & externas. Internæ vocantur, quæ ex ipſo corpore profluunt, quæque in ipſo corpore muliebri vires ſuas nocentes exſerunt: Ad has referuntur, vehementiores animi affectus, motus voluntarii modum excedentes, functiones mulieribus propriæ impeditæ vel plane abolitæ &c.; & hæc mihi dicuntur, vocarique poſſunt, potentiæ nocentes Paſſionis hyſtericæ internæ. Externæ adpellantur, quæ a foris venientes intra corpus muliebre ibi ſuas potentias nocentes exerunt; huc referuntur, aër, cibus & potus,

(z) Idem §. 76.

tus, medicamenta ſuaveolentia, graveolentia &c. naribus admota, venena & ſimilia, & hæc iterum, ſecundum noſtram ſententiam nominari poſſunt Potentiæ-nocentes Paſſionis hyſtericæ externæ. Videamus quasdam harum potentiarum, tum internarum tum externarum, ſed modo generaliter, non omnes & ſingulas ſeorſim, ne Diſſertatio hæcce mea in volumen nimis magnum excreſceret, & inde potius videretur liber de tota Medicina, quam Diſſertatio.

§. XXI. Ad claſſem potentiarum nocentium Paſſionis Hyſtericæ internarum retulimus vehementes animi affectus, excedentes motus voluntarios &c. ad quam claſſem Medicis referuntur, ira, moeror, triſtitia, terror, pudor, amor, melancholia, contumelia, ſollicitudo, deſiderium magnum rerum exoptatarum, Veneris nimia appetentia, adſpectus rerum terribilium, ut decollationum, majorum operationum, vel majoris ſanguinis profluxus, adſpectus & impreſſiones Epilepticorum, Catalepticorum, mulieris ipſius Paſſione Hyſterica quadam graviore obrutæ, aut ejus naturæ plurium. Quantas hæ mentis immodicæ agitationes œconomiæ muliebri noxas inferant, imo multo majores, quam excedentes corporis motus, quotidianæ Practicorum obſervationes nos docent; dantur enim exempla mulierum innumera, quæ quoties ira, aut alio vehementi animi pathemate exardeſcunt, ſtatim Paſſione Hyſterica corripiuntur; ira enim; impetu inefferato, nervos, muſculos, ſanguinem, bilem &c. exagitat, unde quam plurima producuntur ſymptomata, ut furores, inflammationes viſcerum, præcipue primarum viarum. Sic moeror & triſtitia vim nerveam languentem facit, magnasque noxas corpori humano inducit. Elegantiſſimum nobis communicat exemplum Hildanus (*a*), de matrona quadam, quæ ex literis mortem ſui filii, quem unice amabat, intelligens, ſtatim tantam animi commotionem paſſa eſt ut protinus vitæ finem faceret: Ejusmodi plura proſtant exempla, quæ ſi tantam animi commotionem

(*a*) Cent. VI. Obſervat. XII.

tionem producere apta ſunt, ut inde vitam cum morte transmutent, etiam tanto facilius noſtram Paſſionem Hyſtericam producere poſſunt. Ipſe amor Venerisque appetentia, protractum rei amatæ deſiderium, & ægritudo de perdenda vel non obtinenda, ſuas etiam exſerere vires apta ſunt: hoc pulcherrime obſervavit & adnotavit CHARLETO, (*b*) dicens: Mulieres quædam acribus copioſis ſpermatis igniculis prurientes deſiderio conſueſcendi cum viris in ſæva Hyſteriæ pathemata incidunt; hinc tantus Virginibus juxta ac fœminis ſalacioribus, mali Hyſterici eſt proventus. Quantum efficere valeat ſubitum & inopinatum gaudium, innumeris obſervationibus comprobatur, nonne homines, nuntio quodam gratisſimo, & inopinato accepto vitam cum morte mutaverunt? Sed præ omnibus fere nocere poteſt terror qui ſyſtema nerveum violenter concutiendo ſpaſmos, convulſiones, Hyſtericam Paſſionem, Epilepſiam & innumera alia mala producere aptus eſt. His omnibus partes talis mulieris tam debiles, ſenſiles, & irritabiles afficiuntur, ut inde facile in paroxyſmum Hyſtericum incidere poſſit, præcipue autem tempore graviditatis, quando earum partes ex natura ſua multo irritabiliores & ſenſiliores ſunt, hinc tunc imprimis temporis ipſis, quantum fieri poteſt, indulgere debemus, ne in iram aut aliquem animi affectum vehementiorem incidant. Eadem ratione de cæteris animi pathematibus, multa eaque gravia mala, quibus mulieres ad Paſſionem Hyſtericam rapiuntur proponere poſſem, ſed mihi ſufficit vos relegare ad inſtitutiones Celeberrimi H. D. GAUBII Pathol. Medicin., de potentiis nocivis ex immodica mentis exercitatione & præcipue ad binas iſtas orationes hujus viri: De Regimine mentis, quod Medicorum eſt, in auditorio publico Leidenſi habitas.

§. XXII. His porro potentiis nocentibus internis etiam annumerantur omnes morbi humorum abſoluti & relativi Medicis vocati, peccantes qualitate, copia, loco, aut motu, ut Ca-

(*b*) Exercitat. Pathol. VII.

Cacochymia, Cacochylia, Plethora, acidum Spontaneum, Glutinoſum &c., ſimiliaque multa mala, quæ in corpore reſident, ſed præcipue in utero primiſque viis. Sic etiam hujus morbi fomitem in ſe retinent, omnes morbi Acuti Chronicive male tractati, quibus ſæpius Hyſtericam affectionem productam fuiſſe teſtantur Practici. HIPPOCRATES dicit hunc produci affectum ab evacuatione & repletione; Ergo a nimia copia boni ſanguinis perdita, ſive per venæ ſectionem, ſive a nimio menſium aut lochiorum fluxu, lactatione nimia, fluore albo, alvi fluxu diuturno, Diarrhæa, Dyſenteria, Hymopthyſi, Salivatione diuturna, vulneribus, aut ſimilibus, nam in his ſimul cum materia excernenda, boni ſanguinis ſatis magna quantitas deperditur, unde ſublatio æquilibrii inter ſyſtema ſolidorum & humorum, omniumque partium irritabilitas: Sed etiam a nimia repletione, ut a menſium, hæmorrhoïdumque ſuppreſſione, aut lochiorum retentione, vel ſecundinorum, fœtus in utero materno perempti oppreſſione, quibus annumerare poſſemus nimis citas curatas fontanellas, ulcera, abſceſſus &c., quia hac ratione in corpore retinetur materies quædam ſordida, putrida, quæ neceſſario excernenda erat. Hujus etiam naturæ eſt, materies quædam morboſa hærens in Ventriculo, Inteſtinis, Meſenterio, Hepate, Liene, Renibus, Veſicæ, & præcipue Utero; quibus in partibus etiam reſidere poſſunt tumores, abſceſſus, ulcera, ſcirrhi, hydatides, aut materies quædam putrida, viſcida, pultacea, gummoſa, ſebacea, reſinoſa, amurcoſa, oſſea, pili &c. quæ ſæpiſſime in ovariis, tubiſque Fallopianis reperta ſunt, ut innumeris obſervationibus, in corporibus mulierum, hoc morbo defunctarum captis conſtat. (§. XXI.) Hujus porro loci ſunt Vermes in primis viis hærentes, ibique meliorem chyli partem reſorbentes, ſicque rodendo tunicam internam inteſtinorum irritantes, nutritionem debitam prohibentes, quique ſæpius, quam de iis cogitetur, hic ſuum nidum habent: Paucis verbis hos deſcribam vermes; Sunt generis triplicis, rotundi vel lumbrici, lati aut tæniæ, & aſcarides, quæ præ-

E 2 cipue

cipue in fine inteſtinorum craſſorum hærent; peſſimi ſunt omnium, ſic dictæ tæniæ, dein lumbrici, & tandem aſcarides, quæ tamen propter parvitatem non tantas noxas inducere aptæ ſunt. His adhuc potentiis nocentibus internis addi poſſet prohibita diminutaque perſpiratio, qua continuo ex corpore exhalant vapores oleoſi, ſalini, qui nunc ſtagnatione & remoratione naturam acrem, putridam acquirunt, ſanguinique mixti varios morbos in eo producunt, qui rurſus pro fomite Paſſioni Hyſtericæ inſervire poſſunt. Plures his addere poſſem, quas omnes, ne lectoris auribus moleſtus ſim, prætermitto, me conferens, ad potentias nocentes Paſſionis Hyſtericæ externas.

§. XXIII. Ad claſſem potentiarum nocentium Paſſionis Hyſtericæ externarum primo pertinent pro majori parte ſex res, Medicis non naturales dictæ: Primum inter has plerumque locum obtinet aër, qui innumeris modis humano corpori nocere poteſt, V. G. calore, frigore, humiditate, gravitate, levitate, &c., quum calore peccat ſanguinem orbat particulis ſuis liquidioribus, ſpiſſumque reddit, ſolida debilitat infirmaque laxa & inertia reddit &c., ex hac cauſa etiam videtur hic morbus frequentior in regionibus calidioribus, quam in temperatioribus; ſed tamen frigore etiam produci poteſt, quia hoc circulatio imminuitur, prius in vaſis capillaribus cutaneisque, dein in majoribus, unde humorum ſtagnatio, impedita perſpiratio, contractio cutis, ipſique ſpasmi. Quando humiditate abundat, humores noſtros diluit, ſolida humectat, laxat, flacceſcere facit, perque reſpirationem varia mala corpori infert, ut tuſſes, peripneumoniam notham, infarctionem pulmonum, ex quibus rurſus ſuam originem noſter morbus trahere poteſt. Deinde etiam ex ſubita aëris mutatione, ut calidioris in frigidum, vel frigidioris in calidum, aut levioris in gravem, ſiccioris in humidum &c. Huc etiam pertinent cibi & potus quantitate aut qualitate peccantes: Si enim mulieres Hyſtericæ quotidie largiter & magna copia

in-

ingerunt cibos aut alimenta acida flatulenta, crudaque, ut ſunt varii fructus horræi, præcipue immaturi, allia, cepæ, legumina, oleraque hac vi prædita; vel licet has potentias non in ſe habeant alimenta, ſi modo talis mulier Ventriculum nimis replet, varia inde excitari & produci poſſunt mala, V. G. Glutinoſum ſpontaneum acidum, impedita ingeſtorum concoctio, & aſſimilatio materiæ chyloſæ cum humoribus noſtris, &c. Minime autem immodica tantum ingeſtio ciborum hunc morbum producere apta eſt, ſed etiam nimia abſtinentia ab ipſis, nam hinc viſcera, omnesque partes debiles redduntur, & ſic naſcitur occaſio hujus morbi producendi. Qualitate nociva alia cibi etiam lædare poſſunt V. G. nimis calidi, acidi, alcaleſcentes, crudi, indigeſtiles, auſteri, viſcidi, glutinoſi, farinoſi, pingues, qui ſi nimis aſſumuntur a talibus mulieribus, in iis etiam quam maxime hanc affectionem excitare poſſunt. Hujus etiam loci ſunt cibi aromatibus calidioribus conditi, piſces aut carnes ſaliti, fumoque indurati, nec non potus calefacientes, ſpirituoſi, vinoſi, aromatici, non bene fermentati, ad quorum claſſem pertinent omnia vina, præcipue generoſiora calidiora, cereviſiæ fortiores, omnes ſpiritus, & liquores acres, acerbi, ardentes, amaricantes &c. quæ omnia vim Vitalem vel ſenſitivam tam violenter ſtimulant, irritantque, cæteroſque humores craſſos immeabiles, ſpiſſoſque reddunt, & omnia fere in actum deducunt, ex quibus, quo irritabiliores ſunt fœminæ, eo majus damnum inde contrahunt, & eo citius in Paſſionem hyſtericam præcipitantur. Huc etiam pertinent nimiæ vigiliæ, motusque ſyſtematis vehementiores, præcipue in aëre ſicciore, & ſimul calidiore, quia in vigiliis ſemper datur ſenſuum, tum internorum, tum externorum motuumque voluntariorum exercitatio, agitatioque emporii animalis, unde etiam reliquæ corporis partes ſtimulantur, viresque motrices quæcunque excitantur, ſicque totum corpus huic morbo occaſionem dat. Denique etiam huc refero medicamenta remediaque varia fortiora, draſtica, acria, acida, irritantia, ſtimulantia, venefica,

ut diaphoretica, diuretica, emetica, purgantia, & ſimilia, quae ſi corpori irritabiliori dantur, peſſimas ad hunc morbum vires in ſe retinent. His adjunguntur omnia ſaccharata, ſyrupi, mellita, &c. quæ flatus & elaſticam materiem in primis viis producere apta ſunt. Præter hæc etiam huc refero odores, nares ferientes, ipſis admotos, ſive ſint ſuaveolentes ſive graveolentes, ab utroque enim hunc morbum productum fuiſſe teſtantur Practici: Suaveolentium numero annumerantur Moſchus, Zibetum, Ambragiſea, Benzoin, Styrax &c. ad graveolentia Caſtoreum, Aſa fœtida, Spiritus Cornu cervi &c. proſtant & exempla mulierum, quæ a fœtore lampadis & candelæ extinctæ in hunc affectum inciderint; in his tamen aliquando contrarium obſervatur, aliis enim ſolamen afferunt, aliis rurſus paroxysmum excitant, quod mihi dependere videtur præcipue ab idioſyncraſia talis mulieris: Videantur de his Hiſtoriæ Anatomicæ Clariſſimi T. BARTHOLINI CENT. 3. Præter enumerata, ingentem adhuc aliarum numerum adducere poſſem, quæ vim convulſiones & ſpasmos producendi in ſe habent, ſed quarum copia tanta eſt, ut non inſulſe de his dici poſſet: Hic neque finis neque ulla ſumma: Addam igitur tantum omnes fere res non naturales, nondum enumeratas, omniaque fere mala vitiaque in mulierum corporibus reſidentia, quæ peccant ullo modo, ſi debite miſceantur & conjungantur cum feminiis eſſe apta vel directe vel indirecte hunc affectum producere, parteſque mulierum tam irritabiles reddere, ut ſæpiſſime paroxyſmo Hyſterico corripiantur. Abſolutis ergo hujus morbi potentiis nocentibus; quarum cognitionis utilitas præ multis neceſſaria & utiliſſima, ut ſatis patet ex luſu poëtico iſto:

Felix, qui rerum poſſit cognoſcere cauſas.

Jam me confero ad illam noſtri morbi partem, quæ Æſculapii filiis Prognoſis dicitur.

§. XXIV.

§. XXIV. Prognoſis eſt illa Medicinæ pars, quæ docet, quomodo præſagiendum ſit de ſalute, morbo, morteque ægrotantium. Hujus utilitas & præſtantia tanta eſt, ut ea abſolute carere nequeat Medicus, tum quia curatio quammaxime eſt dirigenda ſecundum hunc ſcopum, teſtibus jam HIPPOCRATE & GALENO, qui hoc veriſſimum prædicaverunt, tum quia Medicus hac arte edoctus illa quæ acciderunt, tum quæ ipſis futura ſunt prædicere aptus eſt. Non raro enim fit, ut peritia Medici diſjudicetur ex bona vel mala prognoſi, ſi enim prognoſis eventum habeat, quemadmodum Medicus ipſis prædixerat, præcipue ægris in priſtinam ſanitatem reſtitutis, tunc & ægri & amici talem Medicum ad cœlum usque adtollunt; Exemplum pulcherrimum habemus in illo caſu, quem GALENUS narrat de EUDEMO Senatore olim Romano, qui admiratus de prognoſi GALENI circa ipſum, dein ſanatus ſicuti GALENUS ipſi prædixerat, alta voce ſuis acclamavit amicis: Pythium Apollinem vaticinari voluiſſe per os GALENI. Hinc dicit PROSPER ALPINUS (c): Illam Medicinæ partem, quæ Græcis Prognoſis dicitur, cæteris nobilitate & præſtantia eſſe anteponendam: Et revera Medicis multum ſplendoris & ornamenti affert, hanc ob cauſam HIPPOCRATES & GALENUS omnesque veteres hanc Medicinæ partem tanti fecerunt ſuisque diſcipulis quammaxime inculcaverunt, deque hac materia tantum ſcripſerunt, ut evidenter patet ex omnibus illorum libris, de hac Medicinæ parte conſcriptis V. G. Aphoriſmis, Prænationibus coacis &c. Sed præ omnibus, quantum ego novi de hac parte Medicinæ legi meretur pulcherrimus ille tractatus Celeberr. P. ALPINI de præſagienda vita & morte ægrotantium. His præmiſſis accedamus ad prognoſin Paſſionis hyſtericæ. Antequam vero hanc formem notari velim, eſſe difficillimum formare Prognoſin de hocce morbo, tam complitiſſimo, intricatiſſimoque, ob tot tantaque ſymptomata & phænomena, hanc affectionem plerumque concomitantia, (ut patuit §. 7.), & quæ tantum a ſe invicem diſtant, ut ſi mille ægrotantes ad ſe invicem compares vix duas

plane

(c) Lib. de præſagiend. vit. & mort. ægrotantium.

plane ſimiles invenires. Hanc ob rationem Lectorem relego ad illa phænomena & ſymptomata, quæ propoſuimus (§. 6. 7. & 8.;) ex quibus Medicum pro majori parte ſuam ſibi format prognoſin. Ut tamen vobis B. L. hujus morbi prognoſin proponam: Satuo Paſſionem hyſtericam, multis graviſſimisque licet plerumque ſtipatam Symptomatibus, tamen generaliter non eſſe lethalem, ſed plerumque chronicam, curatuque difficillimam. Curationis tamen difficultas quam maxime differt pro varietate potentiarum nocentium, feminiorum, ipſius morbi natura, ſymptomatum, partis affectæ, conſtitutionisque ægrotantium. Facile enim curatur, ſi ex cauſa quadam levi & facile curanda vel tollenda ſuam ducat originem: Fac. V. G. ut a Plethora oriatur; quam ſæpiſſime totus hic affectus tollitur ſola una venæ ſectione. In virginibus viduisque tantum non datur periculum, quantum in gravidis puerperisque, nam in prioribus non ſolum ſæpiſſime tollitur, ſed etiam radicitus ſanatur ſolo matrimonio: Hinc Hippocr. (*d*) ſuadet Virginibus viduisque præcipue ſalacioris & irritabilioris conditionis, nec non Chloroticis, ut ſi occaſio modo detur virum nanciſcendi hunc ambobus brachiis amplecterentur, quoniam his nullum ſpecificum melius. In gravidis & puerperis contra non tam facile curatur, ſed teſtantibus omnibus Practicis, ibi habetur morbus periculo non expers: Et facile patet in gravidis hanc affectionem eſſe periculoſam, quia hoc morbo correptæ facile abortum patiuntur, unde tunc metuenda magna ſanguinis hæmorrhagia, qua rurſus major irritabilitas, prædiſpoſitioque ad hunc morbum enaſcitur. Idem in puerperis verum eſſe luce clarius patet. In vetulis periculoſior eſt, quam in junioribus, in illis enim ſanatio perfecta non tam facile ſuccedit, quam in his, quia humorum circuitus tardior, vis Vitalis languidior, omnesque partes magis diſpoſitæ ſunt. Denique in robuſtis tantum non datur diſcriminis, quantum in debilibus, flaccidis teneriſque. In principio, nec multis aut gravibus conſtipatus ſymptomatibus mul-

(*d*) De morb. Virgin.

multo facilius tollitur & curatur, quam ſi jam per longum tempus, & quidem magna violentia ægrotantes oppreſſerit: Idem, quod OVIDIUS, poëta ſatis notus, de amore cecinit, etiam de hoc morbo verum eſt, quando dicit (*e*):

Principiis obſta, ſero Medicina paratur,
Dum mala per longas, invaluere moras.

Morbus hic ſemper multo periculoſior, ſi ab hæmorrhagia quadam majori, quam ſi a nimia retentione ſanguinis enaſcitur, idem quod HIPPOCRATES (*f*) nos monet, malum eſſe omen, ſi ex ſuperflua purgatione convulſio aut ſingultus oriatur: Hoc GALENUS etiam perſpiciens affirmavit (*g*) Convulſiones eſſe acutiſſimas & pernicioſiſſimas, quæ oriuntur ab evacuatione: Et ſponte patet, morbum convulſivum, qui a repletione oritur multo facilius curari, quam qui ab evacuatione, quoniam ſanguinis copia facilius ex noſtro corpore educitur quam foris intus adducitur. Omen melius prædicavit HIPPOCRATES (*h*) ſi febris ſuperveniat convulſioni, quam convulſio febri. Præterea, ſi a potentia quadam interna, id eſt, quæ in corporis interioribus hæret, oritur, plerumque, pejor, quam ſi ab externa. Hyſtericis ſternutatio ſuperveniens bonum, dicit COUS SENEX (*i*), resque ita ſe habet, quoniam Medicus inde certus fit vires ægrotantis, nondum plane eſſe abolitas, Diaphragmaque ſuam contrahendi facultatem nondum amiſiſſe, unde tunc liberior reſpiratio eſt exſpectanda. Sic etiam bonum eſt omen, ſi ægræ avolant flatus per ſuperiora & inferiora, nam hi ſpasmorum Ventriculi & Inteſtinorum ſolutionem annuntiant: Si ab aſſumpto veneno quodam plerumque lethalis. Sed adhuc aliquot millia ejus na-

(*e*) Lib. amor. j.
(*f*) Sect. VI. Aphor. LVI.
(*g*) Lib. VI. Aphor VI.
(*h*) Sect. II. Aphor. XXVI.
(*i*) Sect. V. Aphor. XXXV.

naturæ proponere poſſem, neque adhuc finem inveniſſem, quare ab his deſiſto, tantummodo notans, hanc affectionem quo graviorem, & quo vehementioribus conſtipatam ſymptomatibus eo eſſe periculoſiorem, quia tunc ſæpe terminatur in Epilepſiam, Apoplexiam, Paralyſin &c. quamvis tamen non ſtatim deſperandum de vita ægrotantis, licet gravior fuerit paroxysmus, aut remediis ſtatim non cedat. Finem ideo imponam prognoſi paſſionis hyſtericæ, meque conferam ad illam Morbi noſtri partem, quæ Medicis cura audit.

§. XXV. Curatio eſt illa Medicinæ pars, qua ſtatus ille præternaturalis, id eſt morboſus, in corpore humano præſens, mutatur in priſtinum naturalem hoc eſt ſanum. Mutatio hæc in Paſſione hyſterica æque ac in omnibus morbis fit ope duarum præcipue cauſarum efficientium, Natura nempe & Medico, naturæ miniſtro, licet præprimis ope naturæ, nam hæc ſola ſine Medico ſuis viribus plerumque tuetur ſanitatem, morbisque medetur; hac enim deficiente irrita artis molimina (*k*). Quantum natura conferat ad curationem ſilens tranſibo, tantummodo dicam, Medico in omnium morborum curatione, ergo & in hujus, reſpiciendum ad quatuor hæcce munera. 1°. Conſervare ægrotantis vitam, 2°. tollere potentias nocentes quaſcunque, 3°. Cauſam proximam, morbumque ipſum cum hac tam proxime cohærentem, auferre. 4°. abigere effectus morbi præſentis: Verum ſi hæc omnia ſingula ſeorſim, accurateque deſcribere vellem, nimis temporis requireretur Diſquiſitioque hæcce mea in molem nimis magnam excreſceret: Brevitatis ergo curationem conſervatoriam, ſeu Diæteticam, Medicis dictam omittam, meque conferam ad illam, qua cauſa morbi proxima, morbus ipſe, ejusque effectus ſive ſymptomata propellantur, auferanturque. Curationis autem Paſſionis hyſtericæ momentum duplex ſtatui poſſet, alterum nimirum in ipſo paroxysmo, ut quam citiſſime ſolvatur, alterum extra paroxysmum, ut funditus ſanetur.

(*k*) Illuſt. H. D. Gaub. Inſtitut. Patholog. Medicin. §. 18.

tur. Videamus prius, quid Medico faciendum in ipſo paroxyſmo.

§. XXVI. Medicus ad mulierem quamdam, hyſterica paſſione obrutam, vocatus, omnes intendat nervos, omnique ſtudeat diligentia, ut quamcitiſſime mitigetur, ſolvaturque paroxyſmus & excitetur ægra. Multis imo innumeris modis hoc obtinetur. E. G. punctionibus, pilorum evulſionibus, acclamationibus, vociferationibus, &c. quæ tamen omnia, ſi paroxyſmus ſit gravior non inſtituenda, niſi priusquam ægra collocata ſit in ſtatum, ut cervicem & ſcapulas acclives & elatas habeat, inguina vero & femora declivia; & quia ſæpiſſime convulſiones Epilepticæ combinatæ ſunt imponatur ægra lecto, cum capite in pulvinari, ne allidat ipſum corpori cuidam duro; intrudaturque ſenſim & caute machina, vel inſtrumentum quoddam in os, ne mordeat offendatque linguam vel labia: Præterea, ſi os apertum eſt, eo liberius & facilius ægra reſpirare poteſt: Solvantur neceſſe eſt omnes ſtricturæ faſciæque, quibus mulieres plerumque ſua corpora ornare ſolent, ut collaria, pectus, faſciaque cruralia, &c. quia hæc liberiorem ſanguinis circuitum prohibent, reſpirationem difficilem reddunt, & medicamentorum, variis corporis admovendorum partibus, applicationem plane impoſſibilem reddunt. Si interea convulſionibus contrahuntur manus, digiti, vel pedes, extendi debent. Quantum ad remedia, quibus ægra in hocce ſtatu verſans, excitanda ſit, illa duplicis generis ſunt, externa & interna. Externe admoventur, ſpirituoſa, penetrantia, ſubtilia & acria effluvia habentia, quibus totum ſyſtema nerveum concutitur, vellicatur & afficitur; huic fini præprimis inſerviunt graveolentia & ſuaveolentia, de quorum virtute in hoc morbo tamen non convenit inter auctores: Alii enim naribus admovent ſuaveolentia, quæ iterum ab aliis hic rejiciuntur, qui quidem partibus genitalibus ſuaveolentia adhibent, ſed naribus ea admovere prohibent, quoniam obſervatione, ut dicunt, conſtat, ſuaveolentibus, naribus admotis, ſymptomata valde fuiſſe exaſ-

F 2 pe-

perata: Contra rurſus alii contendunt, graveolentium applicationem eſſe naribus noxiam, inter quos ingenioſiſſimus HOFMANNUS (*l*), qui dicit: In profundiori hyſtericarum ſuffocatione, ad eas excitandas præſtat ſal volatile Ammoniacum, cum eſſentia Caſtorei remixtum, vel aquam hirundinum, cum Aceto & Caſtoreo naribus applicare, & frictionibus circa præcordia, item in pedibus, cum panno aſperiori inſtituendis, quam nimio fumo fœtidorum graveolentiumque. Quid de his verum ſit, determinare non auſim, quoniam fide digniſſimi viri experientia ſatis docuerunt, quod in his ſolatium afferat, in aliis rurſus morbus exaſperet, hanc ob rationem, utriuſque ſpeciei aliquot enumerabo, lectorique eorum uſum pro lubitu concedam: Incipiam ergo cum fœtidis, graveolentibusque, quibus adnumerantur jure merito, Aſa fœtida, Caſtoreum, Galbanum, Sagapenum, Camphora, fumus aduſtarum plumarum multarum avium, præcipue Perdicum, Anſerum, Pavonum &c. vel fumus cornuum, verrucarumque equorum & aliorum animalium; ungulæ aduſtæ validum etiam fœtorem in ſe retinent, nec non coria vetuſta, hominum animaliumque crines, ſulphur & plura, quæ ſi comburuntur graveolentiſſimum de ſe dant fœtorem: His accedit fumus exſtinctæ candelæ & ellychnii. Ob fœtorem ab aliis laudantur omnes ſpiritus fœtidi, acre ſpirantes, oleoſum volatile habentes, ut ſunt ſpiritus ſalis Ammoniaci, fuliginis, urinæ, ſanguinisque humani, fellis bovini, cornu cervi, tartari, ſuccini; omniumque ſalium volatilium, oleoſorum, fragrantium, fœtidorum, quibus multæ variæque partes obliniuntur, illinanturque, ut nares, tempora, genæ, os, cervix, pectus, abdomen, partes genitales, &c.; vel etiam ſolum admoventur naribus, ut ægra ſimul cum aëre in inſpiratione adtrahat. Si vero remedia ſunt durioris, compactiorisque indolis ac naturæ contundantur, ſcindantur, minuanturque variis modis, ex quibus tunc componitur nodulus vel ſacculus, qui partibus etiam, mox enumeratis pluribus-

(*l*) De Mal. Hyſter. cap. 5.

buſque applicantur. Riverius (*m*) præ multis commendat fumum herbæ Nicotianæ, ori, naribus, anoque per fiſtulam inflatum. Ad ſuaveolentia referuntur Zibetum, Moſchus, Ambragriſea, Benzoin, Styrax, Thus; flores varii, ut Lavendulæ, Roſarum, Camomillæ &c. multæ herbæ, ut Roriſmarini, Thymi, Menthæ, Majoranæ &c., ex quibus parantur ſuffimigia, odoramenta, errhina, ſternutatoria, vel ſpiritus ſuaveolentes, & alia multa præparata, quæ variis rurſus partibus applicantur, ſed præcipue genitalibus, nam hic ſuaveolentia præſtant præ graveolentibus; cavendum tamen tam reſpectu ſuaveolentium, quam graveolentium, ne continuo, ſed interpoſitis vicibus exhibeantur, aut admoveantur, quoniam experientia & obſervationibus ſcimus, paroxysmos, jam prope ſolutos continua horum applicatione fuiſſe exaſperatos, quibus docemur ea caute & ſuo tempore eſſe uſurpanda. Alii, ut excitantur paroxysmo obrutæ, faciem conſpergunt aqua frigidiſſima, alii magnis vociferationibus ægris acclamant, proprioque ſuo nomine appellant: Quidam partibus quibusdam, ut dorſo per vertebras, femoribus, pedibus &c. aſperas frictiones cum ſale & aceto inſtituunt: Præſtantiſſimum & fere ſemper ad manus remedium eſt acetum, imprimis generoſum fortius vini, naribus & temporibus applicatum. Alii rurſus fortiſſima applicant Epiſpaſtica ex Cantharidibus, & pilos capitis, pudendorumque evellere ſuadent; quidam applicant cucurbitulas coxis, femoribus, brachiis, humerisque. Magno aliquando imo multoties cum ſucceſſu quidam abdomini applicant emplaſtrum ex Aſa fœtida, Galbano, Sagapeno, & aliquot guttis olei Succini, tincturæque Caſtorei compoſitum, & ſi non nimis conſtricta eſt alvus, quidam injiciunt clyſmata purgantia, draſtica fortiora, additis ſimul antihyſtericis, ſtimulantibus, ex herbis Matricariæ, Sabinæ, Rutæ, Artemiſiæ, Salviæ, Roriſmarini, quibus addantur aliquot grana Hieræ diacolocynth., Diagridii, vel Agarici &c., aut ſi deglutire queat correpta, alii dant vomi-

(*m*) Prax. Medic. lib. 15. cap. 6.

mitoria, & purgantia, ſic a variis varia proſcribuntur remedia, quæ tamen caute & circumſpecte ſunt uſurpanda, pro ut indicatio poſtulet. Præcipue attendat Medicus ad temperamentum, idioſyncraſiam, ægræ conſtitutionem & plura, quæ Medico, ſi bene curare vult conſideranda veniunt. Si enim paroxysmus eſt levior, levibus & ſæpe nullis medicamentis ſolvitur: Si autem gravior ad fortiora etiam confugiendum remedia, quod evidenter patet ex ſententia, omnibus Medicis notatu ſcituque digniſſima, eloquentiæ ipſius patris, CICERONEM puto, qui dicit: Prudentes Medici leviter ægrotantes leviter curant, gravioribus morbis periculoſas & ancipites adhibent curationes, quæ res tam vera eſt, quam quæ veriſſima, & hanc ob cauſam, veteres in graviſſimo paroxysmo varias talis mulieris partes ferris ignitis inuſſerunt, quæ tamen nunc non amplius, ſaltem rariſſime uſurpantur, & non niſi ſumma urgente neceſſitate. Dantur & auctores, qui, ut excitetur ægra, in uſum vocant Muſicam. Si mulier eſt marita, ſæpisſime paroxysmus ſolvitur, magnumque ſolatium percipit, ſi concumbit cum marito; in quem finem multi præſtantiſſimi auctores ſuadent maritis, ut ſtatim rem cum uxore habeant, quod ut efficacius ſit alii penem oleo quodam aromatico ſuaveolenti, ut Caryophyll. Cinamom. aut Amygdalarum dulcium inungere jubent, quo facto aliquando citiſſime mulieres, graviſſimo etſi paroxysmo obrutæ, plane ab eo liberantur; hoc quammaxime commendant DIEMERBROECKIUS (*n*), WIRTZUNGIUS (*o*), CAPIVACCIUS (*p*) & alii, quos omnes hoc remedium experientia docuit: Sic DURETUS (*q*) narrat caſum cujusdam mulieris, quæ quaſi mortua jacebat, marito interim de ſalute uxoris valde ſollicito juſſit DURETUS, ut ſtatim opus conjunctionis aggrederetur, quo nondum plane peracto ſtatim convaluit uxor. Sed hic naſcitur difficultas quædam, quia Virgines, & viduæ quam ſæpiſſime hoc affe-

ctu

(*n*) Oper. Medic. obſervat. 31.
(*o*) Lib. 3. pag. 418.
(*p*) Prax. Lib. 4. Cap. 10.
(*q*) In enarrat. ad Cap. 59. Hollerii.

ctu corripiuntur, quibus tamen ſalvo honore & pudore, hocce remedium commendare non poſſumus, ſed ipſis tamen in anteceſſum ſuademus, ut quam citiſſime nubant, ſeque viro tradant, quod ſuo tempore jam obſervaſſe videtur HIPPOCRATES (*r*) dum de morbis Virginum differens, hoc modo ſe explicat: Virginibus Viduisque ſuadeo, quibus tale quid accidit, ut citiſſime viris conjungantur, ſi enim conceperint, ſanæ evadunt. Enumerata omnia, hæcce remedia plerumque ſatis apta ſunt, ad mulierem graviori quamvis correptam paroxysmo ad ſe reducendam, ſed quia tamen non ſemper ſuccedit, quædam adhuc addam, tam externa, quam interna.

§. XXVII. Abſolutis ergo pro majori parte remediis, quæ extus corpori muliebri admoventur, horum numero pauca modo adjungam. Aliquando fit, ut adſint Syncope, Apoplexiæ aut Epilepſiæ ſpecies, convulſiones, delirium, aut nimius humorum motus, ita ut metus ſit, ne fiant obſtructiones, inflammationes, gangrænæ aut ſimilia, ubi ſæpiſſime magno cum ſucceſſu vena aperitur, quæ tamen non incidenda, ſi indicatio contradicat; Variis in locis hæcce venæ pertuſio fieri poteſt, V. G. in utroque bachio, manibus, pedibus, venis jugularibus, frontalibus &c. Sed facilitatis & multarum aliarum rationum ergo, mihi modo ſeligerem in uno vel altero brachio: Præter hocce remedium ab aliis commendantur pediluvia, ſed nimis calida ne adhibeantur, nam tunc ſæpiſſime ſymptomata exaſperant, quod doctiſſimus HOFMANNUS pluries ſeſe obſervaſſe teſtatur (*s*). Si adſint vehementes ſpasmi, dolores, convulſiones, mira aliquando præſtari videmus, ſi abdomen faſciis conſtringitur, comprimunturque ita ejus nervi, nam multoties his adhibitis, experientia conſiſtit, omnes dolores convulſionesque ceſſaſſe. Hunc in finem præ omnibus palmam habet corium quoddam Ruſſicum, *Juchta* vocatum, quod in ſe habet odorem hyſtericis amiciſſimum; ex quo corio

(*r*) De mob. Virgin. circ. finem.
(*s*) De mal. hyſter. Cap. 5.

purgantibus radix Rhabarb. Mann. fol. ſenn. ſin. ſtipit. tamarind. pulp. caſſiæ, aut ſi fortiora requiruntur Jalapp. Scammon. Diagrid. Agaric. & plura Vidimus (§. XXI), hunc morbum, ſuam etiam aliquando habere originem ex materia, quadam putrida, rancida, pultacea in viſceribus abdominalibus, utero præcipue ejusque partibus inhærente tunc confugiendum ad aperentia, laxantia &c. Si a retentione ſeminis, ut in Virginibus, Viduisque irritabilioribus & ſalacioribus, ſpecificum eſt matrimonium. Si a nimiua quantitate Sanguinis deperta, ut a lochiis, menſibusve nimis fluentibus, magnis hæmorrhagiis per vulnera, ſuppurationes, abſceſſus aut ſimilia in uſum vocanda adſtringentia, corroborantia, cardiaca, ut lap. bezoar Orient. Cinnabar. nativ. Antimon. cortex Peruvian. Chalybs, lap. Hæmathit. addendo ſemper antihyſtericis, uterinis, carminantibus, antiſpaſmodicis, quæ pro majori parte jam enumeravimus. (§. 26). Inter ſpecifica præ omnibus laudantur Cortex Peruvianus, & Chalybs, quæ ſub variis exhibentur formis, E. G. pululis, pulveribus, bolis, electuariis, tuncturis aut ſimilibus, ſed præcipue pulveribus aut ſimilibus, quia experientia conſtat, corticem Peruvianum, ſi coquitur, magnam adhuc virtutis ſuæ quantatem in ſe retinere: Laudes utriuſque non commemorabo, quoniam in Medicina ſatis nota ſunt hæcce remedia, hanc ob cauſam lectorem relego ad ſcriptores præcipue hodiernos, qui ea non ob virtutes quaſdam, ſed innumeras, uno ore ad cœlum uſque attollunt. Inter ſpecifica varia adhuc a variis recenſentur, ut ſpirit. ſalis Ammoniaci, Caſtoreum, Succin. fœtid. Galban. Croc. rad. Gentian. Spirit. Corn. Cerv. pulv. Epilept. HOFMANNI, pulv. Marchion. Specific. Cephal. MICHAËLIS, omnia ſpirituoſa volatilia, urinoſa, & oleoſa, Varia præparata ex uterinis, antihyſtericis, antiſpaſmodicis, nervinis, anodynis, opiatis, & ſimilibus, quæ revera medicamenta ſunt ſæpiſſime in hoc morbo efficaciſſima; ſed an omnia ſpecificis annumerari debeant determinare non auſim. Quantum ad res non naturales, cæteraque, ſint hæc morbo oppoſita, nam quamvis non ſemper verum, tamen non ſemper falſum, quod con-

contraria contrariis curentur. De cæteris videantur varii auctores, qui prolixius de hoc morbo ſcripſerunt: Poſſem certe plura, idque præſtantiſſima annectere, quæ tamen ob varias rationes omitto. Si quæ, Benevole Lector, omiſerim, in his vel illis erraverim, hæc æqui bonique conſulas, etiam atque etiam rogo; aut ſi contra leges caſtitatis me peccaſſe putes, illud mihi ignoſcas, ſciaſque, me Medicum Medicis ſcripſiſſe. Deum interim ter Optimum Maximum ſupplex oro, ut vitæ rationem, quam ingreſſus ſub Divino ſuo numine probare, & quodcunque dein egero, gratia ſua cœleſti proſequi ſemper velit.

FINIS.

COROLLARIA ET THESES.

I.

Nullus datur morbus, a quo Paſſio Hyſterica ſignis ſuis diſtinctivis non diſcernitur.

II.

Uteri adſcenſum in hoc morbo plane nego.

III.

Virginibus & viduis Hyſtericis ſalacioribus & irritabilioribus nullum ſpecificum melius, quam matrimonium.

IV.

Quæ Hyſterica Paſſione extinctæ creduntur, non ſepeliendæ, niſi priusquam corpora fœtere incipiant.

V.

Exiſtentiam ſpirituum animalium Hypotheticam ſtatuo.

VI.

Fœtus in utero materno jam reſpirat.

VII.

Primis geſtationis menſibus fœtus in pulmonibus aërem habet.

VIII.

Certum menſium in geſtatione tempus non datur.

IX.

Nec præſentia hymenis præſentem, nec præſentia lactis in mammis virginitatem abſentem arguunt.

X.

Dantur ſigna, quibus aliquando virginitatis abſentia demonſtratur.

XI.

Inter pleuram & pulmones naturaliter datur aër.

XII.

Venæ ſectio uti in plerisque inflammationis morbis prodeſt, ſi ſuo tempore inſtituitur; ita e contrario obeſt, ſi nimis ſero, aut ægro jam valde debili pertundatur.

TER

TER OPENBAARE INHULDIGING
VAN DEN
WEL-EDELEN HEERE
DEN HEERE

LUCAS VAN STEVENINCK,

Wanneer zyn Edele in het Openbaar tot Leeraar in de Geneeskunde bevordert wierd op 's Lands Hooge School te Leiden.

Geluk myn Vriend Geluk! het luſt my thans de ſnaaren
Te ſtellen op een' aangenaamen toon,
Om, ſchoon ik ben het zingen ongewoon,
Met uwer Vrienden wenſch myn harte wenſch te paaren.

Myn vreugde met hunn' vreugd, daar Gy nu hebt verkreegen
Den welverdiende Loon van uwe vlyt,
En onvermoeide Luſt: zoo krygt altyd
De Naarſtigheid myn Vriend! haar Loon en ryken zeegen.

Wie roemt met my dit Uur niet deez' doorwrogte Blâren,
Die toonen uwe luſt op lekkerny,
Waarin Gy vlytig als een Honingby,
Uit Letterbloemen weet het eêlſte te vergaaren:

Gaa voort, gaa voort myn Vriend! zoo zult ge in 't einde raaken
Door vlyt alom hoe langs hoe meer vermaart,
Terwyl uw Artzeny met kunſt gepaart
Der zieken veegen ſtaat tot vreugd gezond zal maaken.

Zoo zult Ge ô STEVENINCK! op 't roemryk ſpoor der braven
Staag bloeijen door uw wysheit en verſtand;
Tot lof en roem zyn van uw Vaderland:
Terwyl elk pryſt en agt uw Geeſt en groote gaven.

Ita amico ſuo integerrimo
applaudere voluit

A. SCHEPMAN, **Med. Stud.**

TER WEL VERDIENDE OPENBARE

BEVORDERING

VAN DEN

WEL-EDELEN EN ZEER GELEERDEN HEERE

DEN HEERE

LUCAS VAN STEVENINCK,

Tot Leeraar in de Geneeskunde op den XXV. *van Grasmaand* MDCCLXVI.

Gy ziet dan 't einde van uw *Academie* tyd
VAN STEVENINCK! uw noeſte en onvermoeide vlyt
Met juichend Handgeklap op dezen Dag betaalen;
Minerva, uit wier Borſt Gy wysheids leſſen zoog,
Treed ſtatig toe; zy heft een *Kroon* van *Eer* om hoog,
En drukt *Die* op uw *Kruin* om altoos meê te praalen.

Geluk! Geluk hier mede ô wakk're STEVENINCK!
'k Wenſch dat uw' Heilzon nu alöm vol luiſter blink'!
Dat *Middelburgers* die, het Lichaam vaſt zien binden
Aan 't Leger, daar Elende of veege Ziekte zugt,
Van uw' Geleerdheid 't Nut, het Heil, de waare vrucht
Ter goê Herſtelling met Gods byſtand ondervinden!

Dus,

Dus, gaat uw Konſtkragt vaak 't geweld des Doods te keer
Tot heil des Menſchdoms! dus, bepaalen zig uw' Eer,
En Roem in *Zeeland* niet, maar rennen op de Vleugels
Van 't vlug Gerucht alöm door 't ruime Waereldrond!
Dus, leeft Gy lang! en word' eens in het Trouwverbond
Aan eene Schoonheid vaſt geboeid met lievde Beugels.

Ex Tempore.

JOH. HENR. BRANS
S. Z.